

www.e-rara.ch

Regnum Dei Sev Dissertationes In Libros Regnum

Caussin, Nicolas

Parisiis, M. DC. L. ...

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-100724>

Liber primus.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



SERIES

LIBRORVM ET CAPITVM OPERIS DE DOMO DEI.

LIBER PRIMVS.
PRÆFATIO.



De rerum cœlestium studio.
P. 1

CAPVT I.

De cœli nomine, distinctione & definitione. P. 2

CAPVT II.

De numero Cœlorum. P. 3

CAPVT III.

De materia Cœli. P. 5

CAPVT IV.

An sint aquæ supra cœlos. P. 8

CAPVT V.

An sit ignis ad conuexum Lunæ. P. 9

CAPVT VI.

Cœlum & Astra ignea esse naturæ, non tamen eiusdem speciei cum igne elementari.
P. 10

CAPVT VII.

Cœlum & astra non esse animata, nec animâ

vegetatiuâ, nec sensitiuâ, nec rationali. An verò anima loco motiua illis tribuenda sit, Queritur: Ac primum Declamatio problematica pro parte affirmatiua præmittitur; dein mens authoris proponitur. P. 11

CAPVT VIII.

Quòd lux non sit Solis, & stellarum fixarum, quæ Soli affines sunt, Anima. P. 15

CAPVT IX.

De incorruptibilitate Cœli. P. 17

CAPVT X.

Vnde Comete & nouæ stellæ, si nihil in Cœlo generatur & corrumpitur. P. 19

CAPVT XI.

An moueatur terra, Cœlo quiescente. Defensio communis opinionis. P. 22

COROLLARIVM DE
MOTV TERRÆ.

Aduersus eos qui ne diuinâ quidem potentiâ fieri potuisse contendunt, vt, manente hoc rerum ordine, terra moueretur. P. 24

CAPVT XII.

A quo cœli & astra moueantur. P. 28

CAPVT XIII.

De ordine mundi, vbi tria systemata proponuntur. P. 31

nuntur, & Copernici sensus declaratur,
nec tamen probatur, quod scripturæ, doctis
quoque & pijs viris videatur aduersari.
p. 30.

CAPVT XIV.

An plures mundi intra firmamentum, sicut
& plures Cæli? Dissertatio Pythagorica
præmittitur; Dein sensus authoris aperi-
tur. p. 31

LIBER SECVNDVS.

De septem planetis & stellis fixis.

CAPVT I.

De Sole.

AC primum de eius præstantia ac pulchri-
tudine. p. 35

APPENDIX.

De substantia Solis.

An sol sit flamma, contra Xenophanem.
p. 36

CAPVT II.

De Solis magnitudine. p. 38

CAPVT III.

De Solis altitudine. p. 40

CAPVT IV.

De motu Solis. p. 41

CAPVT V.

Quod tota Sphæra nihil aliud sit quàm Solis
iter. p. 42

CAPVT VI.

Quod conditio populorum & sors regionum So-
lis itinere describantur. p. 44

CAPVT VII.

De vi & efficacitate Solis in tota natura.
p. 45

APPENDIX.

De Ecclipsi Solis.

CAPVT VIII.

Corollarium de maculis Solis. p. 47

CAPVT IX.

De Lunæ natura. p. 51

CAPVT X.

De Lunæ altitudine. p. 52

CAPVT XI.

De Lunæ magnitudine. p. 52

CAPVT XII.

De illuminatione Lunæ, & varijs eius figu-
ris. p. 53

CAPVT XIII.

De motu Lunæ. p. 54

CAPVT XIV.

De Lunæ temporibus. p. 55

CAPVT XV.

De Lunæ dominio in natura. p. 56

CAPVT XVI.

De Saturno. p. 57

CAPVT XVII.

De Ioue. p. 59

CAPVT XVIII.

De Marte. p. 60

CAPVT XIX.

De Venere. *ibid.*

CAPVT XX.

De Mercurio. p. 61

CAPVT XXI.

De stellis fixis. p. 62

CAPVT XXII.

De numero fixarum. p. 63

CAPVT XXIII.

Asterismorum figuræ numeris appostis indi-
cate. p. 64

Stellæ primæ magnitudinis XV. numeran-
tur. p. 69

Polyonymæ. p. 70

Loca fixarum præcipuarum. *ibid.*

CAPVT XXIV.

De distantia & magnitudine stellarum fixarum. p. 70

CAPVT XXV.

De motu affixarum. p. 71

CAPVT XXVI.

De ortu & occasu stellarum firmamenti. ibid.

CAPVT XXVII.

De viribus stellarum inerrantium ad dignoscendas tempestates ex Ptolemæi lib. 1. cap. 8.

LIBER TERTIVS.

DE VERA ASTROLOGIA
contra falsam & superstitiosam.

Institutum authoris. p. 177. al. 77
De effectu siderum in natura sublunari.

CAPVT I.

Sitne aliqua de iudicijs Astrologia. p. 178. al. 78

CAPVT II.

Vnde olim Astrologia apud primos Christianos odium. p. 179. al. 79

CAPVT III.

Vnde Astrologia iudiciaria apud probos infamia. p. 180. al. 80

CAPVT IV.

Intra quos limites vera de iudicijs Astrologia consistat. p. 181. al. 81

CAPVT V.

Quod naturali Astrologia sacra eloquia non aduersantur. p. 185. al. 85

CAPVT VI.

Quod sanctorum Patrum placita sinceræ Astrologia non reluctantur. p. 186. al. 86

CAPVT VII.

Quod sacri canones tantum superstitiosam & maleficam Astrologiam condemnent. p. 187 al. 87

CAPVT VIII.

Discutiuntur rationes quibus impossibilis Astrologia à multis iudicatur. p. 188. al. 88

CAPVT IX.

Secunda ratio examinatur de ignoratione naturæ, & qualitatum cuiusque syderis. p. 190 al. 90.

CAPVT X.

Tertia ratio expenditur de modo agendi stellarum. p. 192. al. 92

CAPVT XI.

Quarta ratio quæ ab effectis explicatur. p. 194. al. 94

CAPVT XII.

Quæ ab Astrologis obseruari & prædici innocenter & utiliter possint. p. 196. al. 96

CAPVT XIII.

De præsagijs temporum. p. 201. al. 101

CAPVT XIV.

De genesibus & horoscopis. p. 207

CAPVT XV.

De ijs quæ naturali Astrologia circa geneses dici possunt. p. 210

CAPVT XVI.

De electionibus quod vanissimæ sint. p. 216

CAPVT XVII.

De mortis cæterorumque euentuum temporibus, ubi de annis climactericis. p. 219

LIBER QVARTVS.

DE THRONO DEI, ET
vita cælesti.

CAPVT I.

DE Cælo supremo. p. 121

CAPVT II.

An supremum Cælum domicilium beatorum sit solidum. p. 123

CAPVT III.		CAPVT X.	
<i>An sit mobile.</i>	p. 125	<i>De intelligentia animæ separatae.</i>	p. 136
CAPVT IV.		CAPVT XI.	
<i>An influat in res inferiores.</i>	ibid.	<i>De felicitate Animæ separatae, ac primum de habitatione caelesti.</i>	p. 137
CAPVT V.		CAPVT XII.	
<i>De qualitate Domus Dei, & quid sentiendam de paradiso Apocalypsis.</i>	p. 126	<i>De vita animarum caelestium.</i>	p. 139
CAPVT VI.		CAPVT XIII.	
<i>De Domino caelestis domus.</i>	p. 127	<i>De visione Dei.</i>	p. 141
CAPVT VII.		CAPVT XIV.	
<i>De Angelis primarijs ciuibus Domus Dei.</i>	p. 129.	<i>De amore & gaudio Beatorum.</i>	p. 143
CAPVT VIII.		CAPVT XV.	
<i>De animis hominum in æternam sedem receptis, ac primum de Animæ existentia post mortem.</i>	p. 130	<i>De statu corporum in caelo post resurrectionem.</i>	p. 144.
CAPVT IX.		CAPVT XVI.	
<i>De statu animæ post mortem.</i>	p. 134	<i>De tribus in caelum vijs, & caelestis patriæ desiderio.</i>	p. 147

Addita ad Calcem libri Ephemeris Astrologica & Historica, cum observationibus Astrologicis.



DE DOMO DEI LIBER PRIMVS.

P R Æ F A T I O:

De Cælestium rerum studio.

Baruch
3. 24.



ISRAEL quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius! (exclamat Propheta) Stupenda quippè omnibus rerum cælestium miracula, sed à paucis hodie obseruantur, à paucioribus dignoscuntur. In hanc tamen mundi familiam receptis occurrit statim cælum, tantâ siderum pompâ, & tanto gloriæ ambitu: intra se nos continet, implet vitali spiritu, lucem vitamque dispensat; modò percellit attonitos, modò etiam mulcet mæstos, & languentes erigit, omnibus obuium, omnibus intimum: Nec tamen satis vnquam conspicitur quo conspiciuntur omnia.

Plebeios hîc animos non accuso, quos labor improbus, & egestas districta curis, in ergastulum quoddam necessitatis amandauit: ipsos ingenuos, ipsos nobiles, opibus validos, ingenio præstantes loquor. Alios ambitionis æstus per syrtes abripit; & cæca vitæ pericula, impatientes sui, tumultuantes omnibus, per sanguinem actos & flammâs, vnde non nisi per præcipitia descendant. Alios in magnis diuitiis viuacior auaritia stimulat, cunctis erepturos, quod in dedecus suum, aut exitium seruent. Alios vrunt libidinum faces, & ganæ in brutorum vitam ablegant. Ipsi denique literarum alumni, ipsi qui haberi volunt antistites, aut in quæstum, aut in ambitum student quod vendant.

Paucos curæ sacratiores exercent, & seipsâ contenta veritas. Ingentes oportuit viros fuisse, & semotos à vulgo, qui

primi astrorum leges prodidère mortalibus. Non illos fascès, quibus sæpe stolidi tument; non quæstuosæ artes illexerunt, sed æternarum rerum ingens desiderium in arcem egit naturæ, per alta atque operosa studia contritos. O fortunatos quibus se plenius cælum affudit, sibi natos, sibi consecratos, acrioribus ingeniis, innocenti vitâ. Fuit hæc olim Regum cura, fuit gloria, radio cælestes domos penetrare, & siderum volucres inuestigare cursus, ortus, occasus, & temporum vicissitudines suis signare regnis. Nunc postquam sæcula dirus habendi, dominandi dirus ardor infecit, diuina negliguntur, vt seruiatur humanis.

Quinimus in pulcherrimas beatorum sedes: quin penetramus in adyta mundi! Illic patria: illic domus nostra est. Quoties in hæc supèra vultum conuertimus, quoties dirigimus oculos; toties felicitati præludimus, toties intramus in cælestium mentium societatem. Tunc lætus & alacer animus in suam originem redit, suam nobilitatem æstimât, suos computat census; & futuræ gloriæ stimulis sollicitatur.

Addè quodd hõnestissimam habet occupationem mentis hæc exercitatio, quam mira quoque suauitas perfundit. Iuuat inter sidera vagantem ridere curas hominum, & totum istud inane rerum, quod grandia etiam quæ sibi videntur ingenia, per tot irritos labores exercet. Iuuat quicquid ambitio struit, quicquid effodit auaritia, irretortis oculis despiciere, *impositum Pelion Ossæ*, & in se ruituras subfannare

ψυχή
πᾶσα
ἀθάνα-
τος αἰ-
ώνος
ἐἰς αὐ-
γὴν τοῦ
θεοῦ.

Achilles
Tartarus
Ilagoge
ad Ara-
tum.

Titanum moles, dum sui memor animus saginatur amplissimo, & iucundissimo diuinarum rerum spectaculo.

Itaque solutus aulae curis, & in meliorem transcriptus sortem, totus nunc in interiores naturae sinus feror, & quae lucet, inuolo. Hæsit istud intimis visceribus à puero desiderium: & forte ab ipsis inditum astris, ut in astra reuolueret. Sed discendi, docendi, concionandi variis functionibus exercita, nec sui iuris vita, caelestium cupiditatum stimulos cogebatur opprimere. At nunc postquam otia quae poenas hominum infimi putant, mihi Dei beneficio in delicias cessere, statui de Cæli admirandis nonnulla in priuatorum studiorum solatia scribere, ac primò quidem eius compositionem, ordinem, motum, stellas ob oculos ponere; deinde famosissimam quaestionem, & tam variis contentionibus agitatum, de astrorum vi & effectu in sublunaria, quae potero peritiâ, & æquitate decernere. Tandem etiam aggrediar thronum Dei, & æthereos empyrei Cæli confessus, Christo fauente describere.

CAPVT I.

De Cæli nomine, distinctione, & definitione.

PEROSA omnis mortalibus de cælo quaestio est, tam remotis ab illâ sede, tam imperitis, & tam incuriosis rerum. Multos iuuat vetus axioma: *quæ supra nos, nihil ad nos.* Abeunt degeneres in vespertilionum, aut etiam talpatum vitam, lucis atque ætheris exules perpetui. Sed generosa quæque mens cognationem suam vltro cum caelestibus agnoscit; intelligit se partem aliquam esse illius domicilij, quod tam beati ciues incolunt. Et certè benè cum rebus humanis egit prouidentia, quod nullis fermè sæculis defuere heroës animi, qui tentarent aspera, penetrarent abstrusa, iterque monstrarent solis Angelis, & mentibus exutis peruium.

Haud quaquam mirum est, si multa hæc scrutantes nos lateant, quin potiùs mirandum quod tanta nobis prisca homines tradiderint, labore (ut ait Plinius) etiam Dijs improbo. Quadraginta nondum sæcula terram omnem aperuere. Diu sudauimus in puncto, nec dum prætergressi. Nouos orbeshæc ætas deprehendit, ser-

uabit etiam alia nonnullos posterorum curiositati. Quid miramur si multa in cælo ignota sunt, solam veri ciuitatem quærentibus, cum nondum auri claustra qua patent omnia, tam fitiens ataritia reuulserit. Qui recentes detexere mundos, multa primum crassius narrant, donec tempora congressusque hominum ad liquidum veritatem perduxerint.

Ita multa balbutire primum oportuit aggressos Cælum loqui, donec nos vsus & contemplatio limaret. Adhuc de ipso nomine lis est, nec apud omnes ratum quæ spatia firmamento definienda sint. Catharinus illud ipsum intrâ octauam spheram concludit tot stellis conspicuam, Rupertus intrâ aërem. Fugit eos solem & lunam qui in firmamento positi sunt, nec in octauâ spherâ, nec in hoc aëre nostro consistere. Multa hinc turbant aliqui Theologi nature imperiti; Cælum esse volunt quicquid finxerint, & sacris etiam eloquijs sua figmenta sæpius imputant. Solidos in Cælo Planetarum fornices, & quasi Semiramidis muros, crysalla etiam, sonosque musicos, & mirificas describunt contignationes, quas nunquam Moses cogitauit.

Longè hæc ille simplicius & melius. *Dixitque Deus: fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita; vocauitque Deus Firmamentum Cælum.* Omnino nihil hinc aliud per Firmamentum intellexit, quàm aggregatum ex aëre hoc nostro, & superiori æthere: quod etiam Pererius, Delrio, Molina, & Hurtadus agnouere. Vnde & Cæli nomine sæpe in sacris aër venit, cum volucres cæli dicuntur, & cataractæ Cæli apertæ. Signantius tamen pars supera, in qua luminaria, & stellæ. Nec est quod multum nos fatiget aquarum quæ à mundi primordio facta est diuisio, frustra fluuiorum vortices inter ignitas mundi faces constituimus. Aquæ superæ sunt in nubibus, infimæ in mari, in fluuijs, & fontibus. Vtraque disternat impositus nobis aër, qui utique Firmamentum, & pars Firmamenti est.

Illusere nomina veritatem sciscitantibus. Putauere adamantinum esse oportere quod firmamentum esse diceretur, cum satis præiret luce Hebræum nomen *יְקִיָּהוּ* quod nihil nisi *expansionem* sonat; hoc est, totum illud spatium quod à terrâ & aquis in superiora distenditur. Pari etiam errore tot cælos inuexere, quod cæli appellatio

quid proprie dicatur Cælum?

Genes. 1.

quid sit Firmamentum?

Psal. 8: 9. Genes. 7. 11.

Aquæ superæ & infimæ quæ?

Chaldæis singulari numero careat, & flumina inter ardentis astrorum globos sparsere, quod apud eosdem Cæli & aquæ nomina literulis alludant. Nam שמים sunt aquæ, & Cæli שמים : Tantum. Grammaticæ etiam in Cælo licuit. Ex ijs constat licet in sacris literis Cælum appelletur quicquid ab aquâ suprâ nos extat vsque ad stellas, propriè tamen præter empyreum duos dici Cælos, quorum vnum est Planetarum; Alterum stellarum fixarum. Vtrumque definiri potest: *Corpus naturale, simplex, incorruptibile, motuum sublunarium Regimen principale.*

Diuisio Cæli & definitio.

CAPVT II.

De numero Cælorum.

DE numero Cælorum variæ ambages torquentibus se ingenijs implexâ subtilitate. Mirum quod Philastrius Episcopus Brixienfis, non obscuri nominis author, cuius etiam honorificè Sanctus Augustinus meminit, septem Cælos à Dauide, tres à Salomone poni memoret, nullo planè quod in eorum scriptis extet argumento. Nihil nimis pronâ credulitate tribuendum antiquis Theologis de rerum naturâ philosophantibus; Cælum credere quàm numerare maluerunt. Nonnulli etiam Philosophi quoties extra hæc elementa egrediuntur, in nouum & sibi ignotum orbem veniunt. Vnde & meritò Aristoteles Astrologos de rebus cælestibus consulendos monebat; nam parcè & exiliter de ijs differuit in libris de Cælo, titulo potiùs, quàm magnarum rerum notitiâ claris.

Philast. de Hæresibus.

Metaphys. 12.

Antiqui nihil de numero Cælorum dixerunt.

Pluralitas Cælorum à Chaldæis posteris. Opinio de 8 Cælis famosa: plures additi.

Antiquissimi quique Astrorum interpretes nihil de vario Cælorum numero statuere, vnum rati. Figuras tantum ad motus siderum delineandos descripsere, quas hypotheses vocabant. De vmbri malè posteris solida corpora fecere. Varios inducere in Cælum orbis & Sphæras Babylonij & Chaldæi, ambitiosâ potiùs nouitatis libidine, quàm fiduciâ notæ veritatis. Et certè quæ de Octonario Cælorum numero ab ijs manauit opinio, per multa sæcula stetit, cum eandem Platoni & Aristoteli arripere magis quàm discutere placuisset. Nullus errori finis, cum semel cœpit. Septem Planetarum Sphæris, & fixarum stellarum Firmamento nonum Timocharis Cælum superstruxit, decimum Alphonsus. Alij

vndecimum: tandem mirificam illam contignationem Cælo Empyreo Theologi claudunt. Qui octo Cælos statuunt, videre se & legere in stellis putant. Qui tres alios iisdem superiores astruunt, sequuntur incerta motus, conijciendo potiùs, quàm demonstrando.

Validissima omnibus ratio videtur ex Astrorum motu multitudinem Cælorum deprehendere. Sic enim instant: Vnum & idem corpus non posse eodem tempore moueri contrarijs motibus: Cùm igitur constet astra suis orbibus veluti clauos rotæ affixa oppositis agitationibus cieri, necesse est vni Cælo tot superiores astruere, quot in ipso deprehenduntur motus.

Ratio numeri Cælorum.

Falsam rationem facit falsa suppositio. Iam anile istud commentum est, astra esse in Cælo tanquam nodos in ligno. Manu nos in contrariam sententiam duxit diuinus Moses, cum Firmamentum sine Astris creatum memorat secundo die; quarto demùm luminaria & stellas in eo positas, ne scilicet concretas illi putarem, atque innatas. Deinde quantæ hoc prodigalitatis fuit fingere tot immensos orbis vni stellæ natos, & suum cuique Cælum velut anulum gemmæ, idque quasi ex ære solidissimo fabricatum. Credamus similiter Oceanum vni pisciculo factum, vni grano quicquid est terræ; nam stella ad comparationem orbis quem mente agitant, sic vtique exigua est. Quis iam cælos tanquam ceparum pelliculas inter se contextos, atque implicatos ferat? tantas & tam immanes æris atque adamantis officinas rapidissimo motu circà terram volui, & non omnia strepitu personare, motu concutere, flammis incendere? Qui scimus ita leuigatas in suis illis thecis stellas, vt non extent? In lunâ certè iam scabra montium, & plana vallium telescopijs animaduersa. Non putemus idem Saturno, idem Marti euenire; Et qua poterunt ratione intrâ sua septa contineri, atque etiam moueri vt non enorme vacuum asseratur hostiliter naturam omnium pulcherrimam impetens?

non stat.

Parum fuit septem Planetis totidem Cælos diuidere; deinde vni tot lucentes aptare flammis; itur postea in Cælos crystallinos, mera imperitiæ mortalitatis commenta. Nam vbi visi? vbi auditi? aut quo sensu percepti? Et si sensibus non patent, qua ratione, aut quo sacrarum literarum testimonio cogniti? Significari volunt per aquas suprâ Cælos existentes, quas nullas præter nubes esse statim ostendam. Sed si ex aquis, quod plerique volunt, omnis Cæ-

Cæli crystallini fictitij.

lorum structura est; Cur soli illi aquei aut crystallini nominantur? Lynceos hinc oculos appello, quinam vitreos illos fornices, quibus instrumentis videre? at motu, inquirunt, conijciuntur. Sed si moueri per se astra, nec fictitios hinc orbis desiderare respondeamus, quod mox liquidò probabimus, iam perit tota illa, & totæ figmentis comparata machinatio.

Restabat ut crystallinum Cælum vndecimum inducerent, idque immotum, eâ ratione freti, quòd suas quæque tellus animantes, suas arbores, suos lapillos gignit mirâ varietate, quæ nulla esset sphaeris omnibus æquè super terram voluentibus, nisi Cælum aliquod immotum supra cæterorum omnium structuram statueretur, cuius influxu tanta rerum diuersitas procrearetur.

Exilis ratio pro tantâ Cælorum quam volunt soliditate, quasi tam varium soli ingenium ex ignoto hominis fermè vnus commento, & non ex vario solis & siderum in tantâ Sphaeræ inæqualitate aspectu pendeat. Placet iam istis explosis reuolui in purissimum antiquitatis fontem. Vnum Cælum agnoui; quemadmodum vnam terram, vnum mare, vnum aërem, vnum ignem, vnum Deum: Et si quid in eo distinxit, regionibus diuisit, non corporibus; vnam stellis fixis, alteram Planetis tribuens. Hoc longè melius & aptius; nam totum illud Sphaerarum commentum propter varios astrorum motus hominum subtilitas induxit: Atqui commodius omninò moueri deprehenduntur in vno & permeabili cælo, quàm si fingantur solidis & immanibus globis intexta. Nemini verendum est, ne soluta decidant: in suâ sede æternum hærent, æthereis corporibus, & naturâ volucris. Qui stare sine orbibus ea posse non putat, terram aliquando cogitabit in vacuo aëre quasi clauum defixam, ne labatur in supera. Adde iam, quòd vbi nihil præscribit fides, sensibus niti, rationibus vti par est. Atqui tantam crystallinorum orbium compagem nemo vnquam vidit, nemo attrectauit, nemo nisi tenuissimâ coniecturâ suspexit. Omnia per artificiosissimas instrumentorum machinationes scrutantibus Astrologis nihil aliud occurrit, nihil aliud in mentem venit, quàm immensus & penetrabilis æther, in quo nullo obice, nullo tumultu voluuntur purissimi Astrorum globi.

Suprà ætherem Firmamentum est, quod solidum, stellisque longè præstantioribus accensum meritò Astrologi putant. Ipse

qui primus in adyta Cæli, quantum homini fas est, penetrauit Hipparchus; nihil vnquam de Cælorum multiplici varietate dixit, arcanos siderum cursus tradidisse contentus. Hi qui multiplices Sphaeras Planetarum notant, non diuersa Cælorum corpora, sed spatia intelligunt, in quibus quisque suis legibus decurrit. Hæc etiam antiquissimorum Patrum opinio nõ ignobilis fuit. Nam Iustinus Martyr, quæstione 57. ad Orthodoxos ait: *Ἐργονὸς κατὰ ὁσίαν μὲν δύο· Κατὰ διαστήματα δὲ πλείονας.* Cælos videlicet secundum substantiam duos esse; plures secundum interualla, intelligit (opinor) Firmamentum, & Cælum Emphyreum, quod intrâ communis naturæ leges non solemus includere. Chrysostomus quoque Homiliâ quartâ in Genesin scribit: *Τῷ δευτέρῳ διαπιστῶν ἕργων ἕξω βάνει, καὶ ὁ πλείους πειρώμενος ἀεθμεῖν, μύθοις ἐπιεται.* Qui secundum non credit Cælum, transgressor est: qui plures asserit, fabulator. Diuus etiam Augustinus duas Cælorum Sphaeras posuit, in hac Astronomiæ materiâ satis vbique dubius.

Constat igitur naturali viâ philosophantibus stelliferam regionem in duos diuidi Cælos, quorum vnum est Planetarum, alterum stellarum fixarum: Constat Theologis alterum esse, in quo beatarum mentium domicilium, quod supra Astrologorum notitiam est. Inde tres inuenientur Cæli, & in tertium quidem se raptum Paulus asserit, quem Paradisum appellat, Theologi recentiores Emphyreum. Repugnat huic nomini Cajetanus, & alii complures. Temerarium istud alij putant, & penè impium. Sed nemo Christianorum est qui neget dari locum in Cælo altissimum omnium decus, idemque pulcherrimum, in quo beati ciues degant, & plenissimè fruuntur Deo. Qualis autem ille sit: an crystallinus orbis, an igneus. hoc enim Emphyrei nomen sonat, adhuc incomperum est. Non colore, non motu, non luce, non vllis se adhuc argumentis prodidit. Non eloquia sacra, non Concilia, non traditiones Ecclesiæ, aut antiqui Patres indicarunt. Appellatio ipsa prioribus sæculis ignota. Strabus Fuldenis monachus qui vixit sub Ludouico Pio, & Lothario eius filio circa annum 850. primus inuexit orbi, alludēs credo ad *ἐμπίρεια κάλλη* quæ laudat in Cælo S. Dionysius. Augustinus Eugubinus nihil aliud esse Cælum illud Emphyreum putat, quàm lucem illam inaccessibleem à Paulo memoratam in qua Deus ab æterno habitat.

Antiqui
vnu Cæ-
lū agno-
uere di-
uisum in
multas
regio-
nes.

Rectius
dicuntur
esse tres
Cæli.

quid de
Emphy-
reo sen-
tiendum.

CAPVT III.

De materiâ Cæli.

NON esse tot Cælorum orbem solidos quot sunt Planetæ, sed Planetarum Cælum vnũ, idque liquidum, credi par est: difficilis tamen hæc quæstio mortalibus, quibus subuehi in cælestium arcanas sedes non licet. Nonnulli materiam Cæli nullam dicere, quàm falsam ponere maluerunt. In his est Auerroes qui eandem sententiam tuetur obnixè. Sed repugnant Scholæ Philosophorũ, & ipsa Astrologorum experimenta, qui vno consensu asserunt Cælum corpus esse naturale, idemque simplicissimum. Quis enim credat instar mentis esse illud astrorum vehiculum, quod ab ipsis impellitur, secatur, mouetur, cum & materiâ & formâ constare liquidum sit, quicquid est mobile, quicquid etiam aut densitatis, aut raritatis est particeps? Facilius hîc est probare materiam, quàm definire.

Placet istud multis & claris auctoribus Cælos omnes Planetarum ex aquâ duratos in crystallum. Nam Deus (vt aiunt) totam abyssum aqueam telluri superfusam in tres portiones diuisit. Infimam intrâ cavitates terræ conclusit; aliam impendit in multiplices mixtorum corporum texturas, quæ omnia fermè aquæ prædominantis imperio subiacent. Mediam (vt addunt) rarefactam commutauit in aërem, in ætherem, & quicquid est corporum cælestium, quò modò supercælestes aquas ab inferioribus discretas autumant. Hæc crystalli facies blandissimâ specie multis illufit. Amamus ad mentis delicias fingere, quicquid nō intelligimus, & probamus multâ, non quia vera sunt, sed amœna cogitantibus. Mirum quo studio huius sententiæ propugnatores in eam, Scripturam & Patres trahere conantur. Hæc mens (aiunt) Diui Petri fuit, cum dixit: *Latet enim eos volentes, quòd Cæli erant prius, & terra de aquâ, & per aquam consistens Dei verbo.* Torquent se hîc eruditi viri vt terram in Cælum vertant, & quæ de infimo elemento planissimè dicta sunt, cælesti naturæ ascribant. Sed cum omnia mouère, in ambiguis ludût & nihil euincunt. Nam terra hîc ex aquâ emersisse, & ab eâ contineri ac circumuallari dicitur; non autem Cæli,

qui plurali numero fuissent nominandi, vt nullus esset ambiguitati locus, si modo eos hac sententiâ completi Apostolo placuisset. Itur deinde ad Patres, & profertur S. Clemens libro primo recognitionum qui etiam Apostolorum Principem de hac Cæli cathedrâ Physicas conclusiones sic decernentem inducit. *Iam verò aqua quæ erat intrâ mundum in medio primi illius Cæli, terræque spatio quasi gelu concreta, & crystallo solidata distenditur, & huiusmodi Firmamento velut intercluduntur media Cæli & terræ spatia, idque Firmamentum Cælum conditor appellauit, antiquioris illius vocabulo nuncupatum.*

Nunquam tam enucleatè de naturâ rerum loquuntur Apostoli suprâ naturam constituti. Quis nescit Recognitiones Clementis eundem esse librum cum Petri Itinerario, in quo multa ludicra, multa fabulosa, quæ ab Hæreticis, & ijs Philosophis aut scripta sunt, aut deprauata. Tot insolitæ narrationes, tot è Platonis libris petita dissertationes, nihil commune habent cum Apostolorum doctrinâ, quæ non de Stræa, sed de porticu Salomonis censetur. Additur Clementi comes Tertullianus libro de Trinitate, qui Nouatiano Hæretico tribuitur à S. Hieronymo. Acacius quoque Hæreticus, & Seuerianus infidus Chrysostomo, qui mulcere populos eloquio magis nouerat, quàm recta de Philosophorum placitis definire. Qui posteriores à nostro Saliano citantur Patres Cæsarius, Theodoretus, Anastasius Synaita, Procopius, Beda, Anselmus, pedibus eunt in eam quæ occurrit sententiam, recitare quæ acceperint, quàm accipienda statuere doctiores. Nihil hîc mirandum si quod ab vno dictum est in isto argumento, ab aliis indiscriminatim describatur, quibus ista tractare mens non fuit, sed obiter recensere.

Cautius D. Augustinus dixit; *Firmamentum, sicut quibusdam videtur glacies est aquarum.* Quo satis ostendit se non sua loqui, sed referre aliena. Diuus Hieronymus ad Oceanum nihil hîc aquarum præter allusionem nominis recognoscit. *Inter Cælum (inquit) & terram medium extruitur Firmamentum, & iuxta Hebraici sermonis etymologiam Cælum מַיִם ex aquis sortitur vocabulum, & aquæ quæ super Cælos sunt, in laudes Dei separantur.*

Non multum igitur hîc habent quæcunque proferri è Patribus solent testimonia momenti, quia non de fidei dogmate, sed de Astrologiâ quæstio est, quam ex ijs de-

Auert. lib. 4. de celo, textu 7. & 10.

Plerique ex aqua compositos putant.

Reiicitur hæc opinio.

Petri ep. 2. 3. 5.

August. lib. 2. de genesi ad litteram.

libauerunt pauci, nulli feruæ tenuerunt. Deinde quæcunque hîc de glacie & cry-
 stallo commemorant, de similitudine po-
 tius quàm de substantiâ dictum volunt,
 congelatas etiam dum in Firmamento
 aquas loquuntur, nihil aliud quàm in aère
 concretas nubes intelligunt. Nam & aper-
 tissimè aër Firmamentum vocatur, vt no-
 tat D. Thomas. *Secundùm opinionem Basilij*
(inquit) ab Augustino approbatam potest intel-
ligi illud Firmamentum, non in quo sunt stellæ, sed
illa pars aëris in qua nubes condensantur, & vo-
catur Firmamentum propter spissitudinem aëris:
 hæc ille. Cæterum quæ tanto ambitu in
 adyta etiam Theologiæ irrupit opinio,
 orra est ab Empedocle *τέρεμνον εἶναι τὸν οὐρανὸν ἐξ αἰέρος συμπυκνέντος ὑπὸ πυρὸς Κρυσταλλοει-*
δος. *Cælum esse solidam glaciæ in modum, ab*
igne ex aère compactum: quanquam longè
 meliùs ille aëri tribuit quod illi aquis.

r. Part.
q. 69.

Plut. de
placitis
Philos.

Crystal-
lina so-
litas
Cæl. ex-
plofa.

Iam fere ista explofa est ab omnibus
 qui modò rectè ratiocinantur, sententia,
 quia multa habet hiulca & turbida huma-
 næ menti & experimentis aduersa, quæ
 cum credi nisi agrè non possint, possunt
 facillimè refutari. Primùm quàm contu-
 max istud & durum, immania corpora ex
 aquis in glaciem concreta in ipso mundi
 fastigio collocare, quæ vtrique si prædo-
 minantis elementi naturam, vt par est, se-
 quantur, necesse est ea in vio'ento statu
 semper esse. Diuiniora sunt omnia supe-
 ra, quàm vt ex elementis nostris contexta
 credamus. Præit, si sequamur, ipsa natura,
 & omnia nobis graua in imo ostēdit. Quò
 excellentiora quæque sunt in hoc vniuerso,
 eò magis in exilitatem materiæ limata.
 Terram omnium infimam suam in centro
 pondus alligat. Aquæ vt naturæ præstan-
 tiâ, sic tenuitate eam vincunt lapsu facili
 se insinuantes in corpora. Qui aquis insi-
 det aër, ipsis quoque gracilior est. Quid
 restat nisi vt aëri incumbens æther, sit ipse
 aëreæ naturæ vicinus, purus, defecatus,
 liquidus, in quo stellæ velut aues in cælo,
 & pisces in mari placidissimè suos cursus
 stans legibus obeunt? Certe si tribuatur
 Lunæ Cælum solidum eiusdem cum ea
 substantiæ, refringet cōtinuò Solis radios;
 & terris per noctes vastissima eaque per-
 petua lux erit. Iam expende quantum lu-
 cis, caliginosæ de Cælo scientiæ, quantum
 facilitatis hæc veritas attulerit. Torque-
 bantur Astrologi quasi Promethei ad fax-
 um alligati. Quoties aliquos Astrorum
 flexus antea sibi ignotos deprehenderant,
 toties novos Cælos, toties portentosa illa
 crystallinarum Sphærarum corpora mète

Fluidi-
tas Cæ-
lorum
multum
lucis at-
tulit
Astrolo-
giæ.

fabricabant, mera egrotantium animo-
 rum infomnia. At nunc solutâ hac domi-
 nantium orbium tyrannide, eunt astra fa-
 cillimo motu, & arcanos meatus infle-
 ctunt suo nutu, suâ lege quàm de condi-
 tore Domino didicere. Nulla iam rixa
 inter primum istud mobile quod tam di-
 uersè statuunt, inferioresque Planetas,
 nulla hîc fingitur atrox & æterna pugna
 impellentium & obnitentium: Sua cuique
 spatia, sua cuique regna descripta, inter
 quæ mouentur, non adamantinis alligata
 vinculis, sed pede libero, nec itineribus
 impeditis.

Statui-
tur va-
riis ra-
tionibus.

Deinde tam multa fera ætas in Cælo de-
 prehendit, quæ liquiditatem eius aper-
 tissimè probent, vt negare nemo Astrolo-
 giæ gnarus sine stupore possit. Nam Co-
 metæ castigatissimis vbique & vndique
 spectantium Astrologorum obseruationi-
 bus supra Lunam deprehensi, nec istud
 negari nisi à stolidis aut certè peruicaci-
 bus potest. Quæro igitur (si quod solidita-
 tem Cæli propugnantibus etiam placet)
 ex habitu elementari compositi sunt, vn-
 de in hanc ætheream regionem penetra-
 runt? Quibus machinis æternam illam &
 solidissimam glaciem perrupere, vt in eo
 rerum apice consistenter? Sed nec de so-
 lis Cometis quæstio fatigat reluctantes,
 nam nouæ tam sepe stellæ apparuere, tam
 sepe peritis omnibus rerum miraculo de-
 fixis obseruatæ: vnde natæ? vnde emerse?
 Quomodo in his enodandis & oculis, &
 experimentis satisfacere possumus, nisi
 liquida illis ætheris spatia permittamus?
 si noua respuuntur Phænomena, insiste-
 mus antiquis. Cur motus Martis nunc in-
 frâ, nunc supra Solem? Cur Iouis & Sa-
 turni satellites eosdem alterno meatu su-
 peri & inferi ambiunt, idque motu Elli-
 ptico, qui citra vacuum, aut penetratio-
 nem in solido fieri nequit. Cur opaca
 stellarum corpora nunc plura, nunc pau-
 ciora circâ Solem discurrunt? Quis hæc &
 similia, nisi fluido & permeabili Cælo ex-
 plicet? Quis neget secati instar aëris or-
 bitas, quas astra suis vestigiis premât? Sed
 ne vrgere solùm videamur ea quæ rariùs
 contingunt: Videmus Planetas nunc lon-
 giùs distitos, nunc propiùs terris admotos.
 Solem siquidem aiunt Mathematici in
 Apogeo distare ab orbe nostro 1182. terræ
 semidiametris: in Perigæo 1101. Quis igi-
 tur eum orbi crystallino indissolubilibus
 vinculis tanquam clauum tabulæ affixum
 putet, qui tã immanibus spatiis quotannis
 descensus & ascensus suos notet?

Postremò cum ipsis oculis, cum acerrimo omnium sensu, cum statis, & omnium consensu probatissimis Opticæ regulis certandum est illis, qui fluiditatem Cæli negant. Nam vt Alhazen, Vitellio, & Rhotmannus contendunt. *Si res visa & oculus videntis sint in diuersis medijs, rem visam, nisi superficiei secundi medijs ad perpendicularum insistant, semper infractè, & nunquam suo loco videri. Sic enim contingit, vt cum oculus aspicientis sit in aère, obiectum verò eius in aqua, imago extra rei ipsius locum, per refractionem se semper offerat.* Vnde si Sphæræ cælestes sunt solida corpora ab aëris naturâ longè diuersa, necessariò omnes stellæ extrâ verticem consistentes, propter infractas species nunquam suo loco cernentur, sed pro diuerso positu alias atque alias inter se distantias obtinebunt. At verò istud neque ab Hipparcho, neque à Ptolomæo, neque ab Albategnio, neque ab Alzaele, non à Regiomontano; aut Copernico, aut ab alio animaduersum. Sed quæ de siderum motu & eclipsibus à peritis traduntur, accuratissimè calculis respondent: Quæ nisi fluido insisterent, omnia confusa & turbida in Cælo essent, neque vlla de cælesti motu extaret apud nos disciplina. Si stellarum imagines per tot crystalla nobis affluerent, vbique imponerent, & suas mēterentur sedes, nihil in Astrologiâ certum, nihil constitutum haberetur, quod tamen omnium sæculorum repugnat experimentis.

Post tot argumenta iterum aduersarij ad Scripturam confugiunt solidissimos à Iobo dici Cælos, & quasi ære fusos ad nauseam vsque obijciunt. Certè nihil imperitis sacrarum literarum hominibus iniquius, vbi semel ex biblijs locum aliquem arripuere sinistra interpretatione ad sua placita detortum. Primum hoc quod ipsi volunt nusquam à Iobo dictum est, sed ab Eliudiuene arroganti & ignaro, qui multa & incōcinna in sanctum virum effutijt. Deinde si verborum Hebraicorum vis inspiciatur, nomen חֲקִימָה חֲקִימָה quod hinc vsurpatur, non tam Cælum quàm nubes & aëream regionem significat, quod etiam Caietano & alijs eruditis placet: Duo autem in aëris naturâ miratur, vnum quod tam fortis sit & validus, vt qui ingentia etiam corpora impulsu moueat, hoc enim notat epithetum חֲקִימָה, quo nubes appellauit: Alterum quod in hac validitate tantum habeat perspicuitatis, vt politissimo æri ex quo fiebant specula, non abfimis videatur, hoc sonat כְּרִיִּים בְּרִיִּים. At-

qui absurdum videtur Cælum vocare Firmamentum, si liquidissimo aëri propius est: absurdi igitur S. Augustinus, S. Basilii, & ipse oculus naturæ atque Theologiæ sanctus Thomas, qui Firmamenti nomen etiã huic nostro aëri tribuere. Quippe Firmamentum non à soliditate materiæ, sed à perennitate durationis appellatur, & in eo vis nominis miranda, quod tam tenue, tam fluxum vt videtur corpus, manu Dei firmatum annos vincat, & sæcula; suoque influxu sustineat & firmet vniuersa.

Ridiculum est igitur ex eo quod Cæli verbo Domini firmati dicuntur in Psalmis, aut stabiliti in Prouerbijs, inferre corporis soliditatem; non status constantiam. Etsi à D. Paulo penetrasse Cælos Christus dicitur, cogitare illos veluti muros æreos, quasi gracilia corpora penetrari facilius non possint quàm solida, cum penetrare hinc nihil aliud sit quàm obstantia diuidere, instar sagittæ quæ aërem secat, & in interiora rerum admitti.

Quæret hinc aliquis an Firmamentum quoque ipsum tot illuminatum sideribus instar cæterorum orbium fluidum habeatur? hæsitantiùs quidem de illo pronuntari istud par est; sed cum nobis aliud de eodem nihil constet, nullum quoque discrimen hinc statui certò posse plerique contendunt. Nam etsi quæ in eo apparēt stellæ (vt aiunt) æqualibus semper intervallis sint inter se distinctæ, non impedit quominus in fluido moueri, etiam cum hac æquabilitate possint. Certè (vt dicam quod sentio) hæc quæ de fluiditate Cælorum nunc sedet opinio, si Planetarum orbem spectes, non modò antiquissimorum Philosophorum dogmâ celeberrimum fuit: (Nam Anaximenes in superioribus mundi nihil esse dixit, præter immensum & animale aërem in quo mouerentur astra) sed in eam quoque propendent S. Iustinus Martyr, S. Cyprianus, Eusebius Emisenus, Chrysostomus, Pröcopius, Diodorus Tarsensis, Philastrius, & nunc omnes ferè recentiorum scholæ. Credibile tamen est Firmamentum tot stellis collucens, esse solidum; sed ex præstantissimâ materiâ, longè aliâ quàm sit aqua, aut glacies, fuisse compositum, ibique esse perennem & magnificam quam speramus, quam quærimus, Dei domum. Arrisit (vt video) hæc eruditissimo Keplero sententia, qui in thesauro Astronomiæ in Trinitate ponit Patrem centrum, filium circumferentiam, Spiritum sanctum inter-

Psal. 31.
Prou 3.

Lib. 4.

medium centri, & circumferentiæ: Ita in Vniuerso, solem centrum, Sphæram fixarum circumferentiam & quasi vallum firmissimum Vniuersi, Systema Planetarum, statuit intermedium.

An sint aquæ super Cælos.

CAPVT IV.

EXclusâ glacie ingerunt aquas Cælo, conatu magno, & peruicaci contentione, quæ firmare etiam diuinis nituntur oraculis.

Sed dum præposterè sacras literas intelligunt, torquent in Deum Dei verba, non sine tormento vniuersi. Scilicet parum vidit diuina Prouidentia quæ tam sapienter discreuit orbem, & elementis iura descripsit, iussit congregari aquas quæ sub Cælo in locum vnum. Congregationes aquarum appellauit maria, quæ pulcherrimè in usum mortalium diffudit, terram cingens Oceani limbo. Nos diuisionem istam non patimur, & quæ inferis addixit, tollimus in superos. Non placet esse vnum mare, sicut vnam terram; moles aquarum ponimus in Cælo, quæ si vnus tantum milliarius obtinerent profunditatem, quicquid humoris terrestris continerèt, multò plus quàm numero mille millionum: Et si vno tantum passu extarent, caperent plus quàm ter millies. Quæro igitur cur in Mosis Cosmopœa tam vasta tam prodigiosa silentur maria, & nostrum hoc memoratur insignitum amplissimo magnitudinis nomine. An putemus Deum voluisse amicum terræ elementum, inter fastigia mûdi quasi in carcere in violento eoque perpetuo statu detineri? Quin tertiam pari modo transcribimus in sidera, cum non minùs aquæ quàm ipsa, suâ mole ad inferiora trudantur?

Sed forte aquarum cælestium ingens aliquis vsus est, nam ad fines certos omnia mens diuina composuit. Cuiam igitur emolumento futuræ sunt cælestes aquæ? An hîc positæ vt astrorum temperent flammæ? Sed qui hæc asserunt, neque ignes in Cælo esse volunt, & si sint, mites & exarmatos in suo videlicet regno constituunt. Adde quòd tanta vis immanium aquarum non ad moderandum esset, sed potiùs ad iugulandum. An & ex istis irrigantur terræ? Sed neque istud admittunt qui eas Firmamento in æris modum fuso,

quasi æternitatis vallò contineri asserunt, & deesse nobis aquas, nec maria, nec nubes patiuntur. Quid hîc igitur agunt exules & captiue, quibus etiam miraculo quodam opus est vt ibi conseruentur? Ad corpora beatorum confugiunt, cum quibus comparantur, quasi in beatitudinis statum quemdam, admitti oporteat elementum terris natum, vt constet veritas somnijs, & ratio figmentis.

Restabat vt quidam Theologorum innocenti coniecturâ dicrent, hîc teneri ad exhilarandos cælestium ciuium oculos. Debuerant addere pauonum caudas, & secta in triangulos vitra quibus mirifici colores insunt. Dehonestamus profectò Theologiam puerilibus commētis. Nulla ratio super Cælos aquas esse (vt aiunt) satis persuadet. Sed Scripture clamant, quibus non solum credere, sed immori debemus. *Benedicite aquæ omnes quæ super Cælos sunt Domino.* Deinde. *Extendens Cælum sicut pellem, qui regis aquis superiora eius.* Inde (aiunt) tot Patrum, tot Doctorum, & omnium pene sæculorum confessus, qui hoc ipsum profitentur. Inde Sophronij Epistola quæ recitatur in VI. Synodo Constantinop. vbi inter errores Origenis numeratur quòd supercælestes aquas improbarèt.

Vnus & promptissimus tam multiplicibus nodis cuneus. Si dicamus reuera esse super Firmamentum, & super Cælos aquas: Verùm hîc nomine Firmamenti & Cæli, intelligi non partem illam superiorem in qua sunt luminaria & stellæ, sed inferiorem illi, superiorem nobis in qua sunt nubes aquis salubribus factæ. Quid est in hac interpretatione violentum? Quid detortum? An aërem Cæli & Firmamenti nomine designari negabimus? Atqui hoc ex vsu liquidissimum, cum volucres Cæli, & cataractæ Cæli tam trito & familiari verbo in sacris nominentur. An & eas esse germanas aquas inficiabimur quæ ex hoc Cælo & nubibus affluunt? Sed nemo istud nisi naturæ imperitus dixerit! Quid restat igitur nisi vt facili enarratione intelligamus Scripturam quemadmodum ipsa prescribit ad naturæ veritatem, non ad intortis sensus violentiâ? Vidit hoc August. lib. 2. de Genesi ad literam, & intulit. *Multi asserunt istarum aquarum naturam supra Cælum sidereum esse non posse, quòd sic habeant ordinarium pondus suum, vt vel super terram fluitent, vel in aëre terris proximo vaporali ter ferantur. Nec quisquam debet istos ita refellere, vt dicat, secundum omnipotentiam Dei, cui cuncta possibilia sunt*

Genes. 1. 9.

Enot-
mitas
aqua-
rum
Cæle-
stium.

Contra
hæc opi-
nionem
disputa-
tur.

Violen-
tus ibi
aqua-
rum
status.

Nullo
emolu-
mento.

Se-1 ma-
gno de-
trimento.

An ibi
ad re-
creandos
beatos?

Daniel
3.
Psal 103.
Loci
Scriptu-
ræ pro
aquis
soluuntur.

Aquæ
cælestes
sunt in
nubi-
bus.


August.
lib 2. de
Genesi
ad litem.

sunt, oportere nos credere aquas caelesti corpori in quo sunt, sidera superfusas. Nunc enim quemadmodum Deus instituerit naturas rerum secundum scripturas eius, nos conuenit quaerere; nunquid in eis, vel ex eis, ad miraculum potentiae suae velit operari?

Aptissimè quidem istud, vbi & addit deridendos proponi libros sanctos, si in rebus quae naturam spectant, ex eis conemur asserere quod certis rationibus, aut experimentis manifestissimis repugnat. Præterea postquam ibidem commemorauit illam quam de aquis Cælo aëreo insistentibus dixi sententiam. *Hanc ego diligentiam (ait) considerationemque laude dignissimam indico, quod neque contra fidem est, & in promptu posito documento credi potest.* Ex quo apparet quàm præposteris sint, qui dum sua figmenta conatu cæco, ineruditâ mente, tueri contendunt, verissima Theologorum benè sentientium placita, pene inter hæreses retulère.

CAPVT V.

An sit ignis ad conuexum Lunæ.

 NEM de Cælesti arce detrusère, ipsi qui aquas inferunt, relegatum scilicet in Lunæ conuexa. Et certè de propria eius sede magna lis inter Philosophos fuit. Quidam instar Dei, nullibi esse voluerunt, quia vbique est, & (vt ait Tullius) *igneum genus tranat omnia.* Sic Valesius de sacrâ Philosophiâ nullius loci amore teneri existimat, sed in omnes penetrare, omnium auidum, & cunctorum artificem. Scintillat (aiunt) in silicibus venis, in leonum viuit ossibus, alitur etiam in balneis & fontibus nonnullis. Hòc fornaces sudant, ardent halitus, tonitrua mugunt, puniunt inferi. Hoc cibi constant & medicamenta, hoc arma fiunt, hoc vasa; & quicquid agriculturæ, quicquid tot artibus militat: omnibus inest, omnibus interest. Inde donum Cæli hunc maximum veteres censuère, in Deum etiam Chaldæi & Persæ consecrarunt. *Homines enim (vt ait Vitruuius) veteri more ignis expertes erant & ignari, donec quodam fortè loco arbores crebro ventorum turbine agitatae, irrequieto ramorum attritu ignem concepère (crediderim potiùs ex incensis nubibus deciduum) Flamma primùm qui aderant exterruit fugantisque, mox*

almâ suâ luce, & benigno calore illexit admirabundos, & discussâ ignorantiae caligine, fide & grato fructuum quos spondebat, experimento, in suam traxit familiaritatem. Hinc tantus ignis amor & veneratio, quo nostræ etiam immortalitatis (vt Lactantio placeat) habemus argumenta. *Cælesti elemento, quod est ignis (ait ille) homo solus vititur. Si lux per ignem, vita per lucem, apparet eum qui usum ignis habet, non esse mortalem.*

Hunc veluti indiuiduum vitæ comitem, domus larem, vigiliarum conscium, & diuinorum adiutorem studiorum atque operum experimur. Præferri sibi Persarum reges & Patriarchæ Constantinopolitani dum incederent cum pompâ voluerunt. Perpetuum & vigilem plerique sepulchris inclusère. Nam & in Nefide insulâ, superiore sæculo marmoreum sepulchrum inuentum, & phiala in qua tùm adhuc lucerna visa est ardere, quam quindecim sæcula non extinxerant, viso aëre confestim euanuit. Cælestem tanta dignitas igni vendicat sedem, nec teneri in his inferioribus locis, nisi miseratione numinis, quasi beneficum exulem multi putant. Nec dubium quin deberi se superis ille sursum semper emicans vigor ostendat. Sed nolim infra globum Lunæ alligari.

Primùm quia nec istud oculorum, aut alius quilibet sensus prodit, nec vlla ratio satis indicat. Sequuti sunt elementorum textum, qui primi asseruère. Putauère vt aquam terræ, aquæ aërem, sic aëri necessariò ignem imminere, quasi ascendere vltra non posset. Deinde nimis admouent terris vorax elementum, & omnia si illic esset, incendio consumpturum. Nam si quod aiunt aër vaporosus à terris in superiora diffunditur per quinquaginta fermè milliaria; Si totidem tribuamus subtili flammæ, & decupla sit ignis ad aërem (vt æstimant) proportio, quantam illic & quàm immanem statuimus vim ignium? Nobis inde quotidie nouus aliquis Phaëton exoritur, qui faces mittat in totius naturæ perniciem. Scio quid respondeatur; ignem illum in suâ sphærâ quiescere innocentem. Sed hæc elementorum quies motum negat, non actum. Benè inferitur terram in medio mundi manere immotam, quia in centro est; aquas nulli natantium graues, quia in loco sunt: ignem non labi in hæc inferiora, nisi vi fulminum torqueatur expressus, quia

Lactantius in Epitome. Ignis nostræ immortalitatis symbolum.

Lampas per multa sæcula ardēs. A porta lib. 12. Mag-natural.

Non esse ignem ad conuexum Lunæ.

S. Augustinus hanc sententiam probat

Ignis nullibi, quia vbique.

Vitruuius de Arch. lib. 1. Ignis inuentio.

sphæram suam obtinet. Sed hæc non probant aërem proximè illi admotum non incendi, non ardere, & latè flammam concipere, quæ spectantium oculis sese quotidie offerant.

Nam si aliter se res haberet, fatendum omnino esset aut ignem vrendi facultate priuatum; aut deesse obiectum, in quod vires suas expromeret. Si primum infertur, quæro an quod olim in fornace Babylonica factum scimus, diuinâ potentiâ volucres coërceantur flammæ? Sed neque istud dicitur ab aduersarijs, neque si dicatur, dicto constabit fides, iam præsertim ex D. Augustino monitis, ne communes mundi leges vbique infringamus falsâ miraculorum opinione. Si alterum, de obiecti quippe præsentia negant, in promptu aër est. Quæro si naturæ suæ & speciei relictus ignis conceditur, quid causæ est cur quod illi perpetuum & familiarissimum est non agat, cum tanta in vicino aëre pabuli materies sit obiecta? An & hîc dicemus ipsum aërem non esse obnoxium flammis in orbe suo constitutis? Sed hæc leuia sunt, & nemo negat superos ignes vorare in cometis, aërem pasci in trabe, in facibus, in saltantibus capris, & tot meteoris ardentibus. Quid igitur necesse est viuacissimum elementorum ibi detinere, vbi non agat, & inertiglobo torpeat, cum satis constet per ignem orbi nostro inditum atque infusum geri commodè omnia? Nec istum alio quis indigere ad vires eliciendas dixerit, cum solis & reliquorum siderum luce ac motu satis excitetur. Hæc Cardani, hæc Tyconis sententia est, quorum vnus multa subtilissimè vidit, alter intimam cum Cælo cognationem habuit.

CAPVT VI.

Cælum & astra ignea esse natura, non tamen eiusdem speciei cum igne elementari.

NON excludimus ignem Cælo, sed inferimus, quasi aptissimæ sedi maiestatis suæ. Nam Cælum, & stellas fixas, quæ ita scintillant, ignea esse naturæ in conspectu est. Æther siquidem ille quem permeabili aëri propiorem dixi, per ignem duratur in stellas, & in densa flammæ se

produunt. Hoc sacra loquuntur oracula, hoc Patres, hoc antiquorum Philosophorum consensus, hoc ratio & experientia probat. Solem ipsum æternorum ignium fontem vnde omnia lucent & calent Ecclesiastici liber agnoscit, imò & cum apparatu describit. *Admirabile (inquit) opus excelsum. In meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere? fornacem custodiens in operibus ardoris.* Vide vt non tantum calorem efficit, sed custodit apud se, quem per omnia dispenset. Irrisit falsè Tertullianus Peripateticos tam notæ veritati oblucentes. *Sol (ait) corpus est; siquidem ignis, sed quod Aquila confiteatur, neget noctua.* Sanctus quoque Basilius delirare eos censet qui negant solem esse calidum, & eorum opiniones non inter Philosophorum placita, sed ægrotantium insomnia referendas autumat. In eandem sententiam pedibus eunt Ambrosius, Cyrillus, Cæsarius, Gregorius Nyssenus, & Procopius. Sanxere ante omnes Heraclitus, Empedocles, & Plato. Sed nimis crassè Anaxagoras Cælestes domos ex ignitis lapidibus fabricauit. Durum est obniti tot sacris testibus, vbi præsertim omnium mortalium sensus & experimenta, Doctorum etiam in idem axiomata conspirant. Debuere qui hoc negant, meminisse Aristotelis ipsius asserentis. *Quicquid est causa aliorum vt sint talia, illud est maxime tale. Quod est causa vt alia sint vera, hoc est verissimum. Quod est causa vt alia sint calida, hoc est calidissimum.* Atqui ex solis accessu exsufflari ignes in naturæ gremium sentimus, quibus quotannis reflorescit mundus, & in suos stimulaturs partus. Quis igitur ita contra lucem cæcus, & contra veritatem pugnavisse velit, vt illi calorem deneget, quasi inesse mari aquam à quo fontes promanant inficimur, & dicamus in riuis quidem humorem esse, in scaturigine non esse?

Intelligo quid respondeant, calores illos quibus ardet mundus per reflexionem radiorum solis excitari. Non vident qui hæc dicunt, posse similiter eludi quicquid in igne calidum sentimus, si libeat respondere, non esse istum calorem ab ignis naturâ, sed admotorum illi reflexu corporum nasci. Quo tandem indicio probant astra non ardere nisi refringantur, cum per telescopia nuper inuenta, liceat videre stellam Martis rutillam, è qua tanquam ex incensâ fornace

Anti-
quorum
de hac
re placita.

Ecclef.
43 3.

Tertul.
lib. de
anima.

Basili.
homil.
3 in
Genes.

Arist.
lib. 2.
meta-
physic.

Ratio
aduersa-
riorum
infirma.

manifestissimè ignei radij spirant. Certè si refractio sola radiorum incenderet obuia, nullæ in Sole, nullæ in astrorum corporibus flammæ cernerentur. Deinde cum potentior sit operatio radiorum circa ambitum loci ad quem reflectuntur, acrior quoque vis feruoris esset in hac infimâ aëris regione quàm in summâ. Nec altissimæ columnæ insidentem asfo & flagranti sole vehementior æstus vrgeret, quàm qui in terrâ iacent, quos tamen reuerberati luminis appulsu ex tâtâ terræ mole, & illo quidem tam propinquo, calere par esset violentiùs.

Plin. lib. 2. cap. 61. Si solo percussu accenduntur corpora, cur arcus cælestes (teste Plinio) hyeme maximè fiunt ab æquinoctio autumnali, quos immisso caux nubi & refracto Sole feruidos comitari dies quisque sentiret, si quid aduersariorum valerent argumeta.

Spoliant Solem dote suâ. Adde quòd ipsum Solem molitorem tot operum spoliant dote & censu suo, calore videlicet optimo & beneficentissimo generationis principio. *Quid illi (inquiunt) calor, quid ignis prodest?* Quod lux, quod natura sua, quod telum militi, aut aculeus api. Num satiùs est inditum illi fateri tantæ dignitatis instrumentum, quàm aduentitium comminisci? Non dedecoramus Solem, cum calidum, cum igneum esse dicimus; est enim in igne sublimis quædam naturæ præstantia, quâ sacræ quoque literæ Deum exornauere. Si currus illi, si thronus aptatur, si manus, si pedes, si oculi, omnia sunt ignea. Imò & apud

Deuter. 4. 24. *Dominus Deus noster ignis consumens est.* Nullo aptiori simulacro primam & purissimam mentem exprimere cælesti vir ingenio potuit. Nos deinde veremur Cælo tribuere perfectissimam omnium quæ in oculos cadût, essentiam, & indiuiduam comitem lucis. Aptissimè dixit Marsilius Ficinus. *Calet quia lucet. Nemo neget Cælum esse calidum, sed neget potiùs esse vrens. Neque dicat Solis lumen solâ repercussione calefacere, sed solâ comburere. Nam Lunæ radij repercussi nihil calefaciunt, cum in eâ virtus aquea dominetur; calefaciunt autem Solis radij salubriter pro igne à Solis viuificâque natura.* Hæc ille longè melius ex Platone quàm ex Peripateticis de Cæli naturâ philosophatus; Et certè exilia sunt quæ ab Aristotele contra hanc sententiam proferuntur argumenta: nam quod ait hanc non esse demonstrationibus mathematicis consentaneam, liquidò per omnia antiquorum Astrologorum placita arguitur, & ipsi qui nunc operosiùs Cælum scrutantur & meliùs, omnes purissimas in

Cælo flammæ agnoscunt. Quòd autem addit, eos qui nobiscum sentiunt, putare Solem & astra esse pusilla, commentum est, cum huius veritatis assertores nihil de Siderum magnitudine minuunt. Inde putauit summo vir ingenio nulla iam fore elementa, si tam vasta siderum corpora continuis ignibus arderent. Sed spectare nondum illi per telescopia contigerat, quàm prodigiosis & immanibus spatiis ignis hic cælestis distans est à terris. Non omnes æquè stellas ardere dicimus, Solem limpidissimi istius ignis fontem statuimus, quem in astra pro vili sunt admota, transfundit. Inde frigida etiam quædam nominantur, quia minùs calent, vtpote ab eo remotissima: Quædam etiam humida, quia meliori & temperato calore præstât. Per maxima interiacentium corporum interualla mitigati ad nos benefici Sideris radij affluunt; in Cælo verò nihil vrunt, quia nihil vrentibus flammis obnoxium, vbi omnia æterna & incorruptibilia sunt.

Esse igitur Cælum & astra igneæ quidem naturæ nemo rerum æquus arbiter diffiteri possit; sed nullus hunc cælestem ignem in eandem cum nostro speciem atque ordinem relegabit: nam longe sublimior atque diuinior est. Quintam omnino esse essentiam, locus qui sacratissimus est, & motus qui in orbem, & iugis atque innocens ardor qui nullo pabulo indiget, & tot mirabiles in sublunarem naturam influxus, castissimum denique & indissolubile cælestis materiæ cum sua forma coniugium satis indicant. Itaque Auicenna libro de Cælo & mundo & Plotinus libro de Cælo confutant eos qui stellas reipsa igneas putant.

Ita etiã Cardan. lib. 1. in Ptolom. de iudicio astror.

Ignis cælestis non est eiusdem speciei cum elementari.

CAPVT VII.

Cælum & Astra non esse animata, nec Anima vegetatiua, nec sensitiua, nec rationali. An vero Anima locomotiua illis tribuenda sit, Queritur, ac primum Declamatio Problematica pro parte Affirmatiua præmittitur, deinde mens Authoris proponitur.

Solem (aiunt) & stellas exanimarunt iniqui censores, vnde tot animæ, tot vitæ. Cælum quidem animatum non putamus, quia nec per se mobile: domus est in

qua decurrunt tot faces, & est illi forte aliquid vitale, sed non anima. Astra sunt quæ mouentur & animantur. Nec istud Theologiæ aduersum, sed Philosophiæ conuenientissimum: Apertissime Salomon Solem vocat *spiritum*: oritur Sol (inquit) & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens gyrat in Meridiem, & flectitur ad Aquilonem, lustrans uniuersa, in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur, vbi sanctus Hieronymus solem spiritum nominauit, siue quod animet, spiret, & vigeat, & annuos orbis cursus expleat, siue quod Lunæ lucentem globum, & astra Titania spiritus intus alit. Quod si quis metaphorice loquutum Ecclesiastem dicat, omnia quæ de solis inter tropicos motu hîc censuit, erunt quoque ad metaphoram referenda. Sed frigide ad tropos recurritur, in re plana, & tot sapientum placitis consentiente. Debile telum intentant contra syderum animationem, qui damnatam asserunt à Cōcilio Constantinopolitano, nam neque Canones huius Erraticæ Synodi vllâ approbatione recepti sunt ab Ecclesia, & si quid in hac re sua censura perstrinxit, eos tantum attigit, qui stellas *Materiales Angelos* cum Origenistis censuere. Huc vsque enim horum error abiit, vt eas cum Philone *θεοὶ ὀρατοὶ* visibiles Deos crederēt, sensu atque anima rationali vigere, capaces virtutum atque vitiorum, & quidem deducendas vsque ad summum Dei tribunal, vt gloriæ cælesti deputentur, aut etiam ad infetos amandentur. Occupauit stupentes animos hæc ab Origene nimis audax opinio: Sanctum quoque Augustinum nonnunquam ambiguitate torsit, qui in Enchiridio scribit, *sed nec illud certum habeo, vtrum Sol, & Luna, & cuncta sydera ad eandem Beatorum societatem pertineant, quamuis nonnullis lucida corpora esse sine sensu, & intelligentia videantur.*

Tum libro 2. de Genesi ad literam capite vltimo. An Cæli vitaliter aimentur, veretur pronunciare pro negatiua, ne forte, inquit, quod postea veritas patefecerit, propter amorem nostri erroris oderimus. Concludit vero *Retract. lib. 1. cap. 11.* Nec falsum esse confirmo, nec verum esse comprehendo.

Liberiùs verò sanctus Hieronymus Origenistarum dogma exagitauit in Epistola ad Pammachium, exploserunt pariter sanctus Basilius in Hexamero, & sanctus Cyrillus contra Iulianum, tota mox Theologorum schola in illud infremuit; nec dubium quineo quo dixi modo intel-

lectum fidei resuictetur. At vero alterius generis animam stellis tribuere, si falsum est, error quidem est (vt aiunt) Philosophiæ multus, Theologiæ nullus: Pro animatione certant antiqui fere omnes Philosophi, & peritissimi cælestium rerum Astrologi, Chaldæi, Hebræi, Ægyptij, Arabes, Algazel, Alpharabius, Ptolomæus, Plato, Seneca, ipse denique Naturæ genius Aristoteles non hæsitante aut obscure, sed clarissimè asseruit: *ὁ δὲ οὐρανὸς ἐμψυχὸς καὶ ἔχει κινήσεως ἀρχήν*, friuolum est detorquere ad intelligentiam assistentem, cum nusquam in tanta voluminum amplitudine animatum quidpiam ab eo dictum fuerit, quod de interno atque indito à natura motus principio, non autem de ascitio intelligatur. Et si hoc valeret, merito plaustra diceremus animata, quia mouetur à iumentis. Theophrastus Philosophi nomen denegauit neganti Cælis animam; Petrus Martines Theologus magni nominis, deffendi posse istud dogma docuit: Paulus Riccius plane defendit; Cæsar Cremoninus libro de Natura Cæli clarissimè asseruit, ex Lycæi sensu, *sect. 5. c. 5.* Cælum, inquit, est formaliter animatum animâ quæ sit natura secundum Aristotelem, testantibus apertè eius interpretibus Alexandro Aphrodisæo, & Simplicio; Nam in lib. de Motu communi animalium loquitur Philosophus de motu Cæli tanquam de mouente seipsum, & lib. 12. *Metaph. textu 36.* habetur *quod ens separatum mouet vt amatum, & desideratum.* Eadè sectione cap. 8. & cap. 9. p. 125. nimis audacter enunciat, *Cælum est animatum anima rationali,* confirmat ex *Arist. lib. 2. de Cælo textu 61.* vbi loquitur de Cælis, *tanquam participantibus actione πνεύματος* & vita, at praxis tribuitur Soli animæ rationali. S. Thomas libro 2. contra Gentes, cap. 70. explicans sententiam Aristotelis *secundum eius principia oportebit dicere quod intellectus secundum suam substantiam vniatur corpori cælesti vt forma.* Ego certè nunquam probauerim opinionem hanc quæ ad Origenis placita propius videtur accedere, sed longè aliud genus animæ quod tantum in motu consistat, inferioribus præsertim Astris, hoc est Planetis ascribendum multis videtur.

Si huic veritati (vt addunt) propalatam fidem denegaret tot illustrium virorum veneratio, ratio tamen satis ipsa apud generosos quosque sensus vendicaret. Nam quod Aristoteles definiuit, argumentum vitæ & animæ est in rebus illis omnibus quæ non ab extrinsecò, sed ab interiori

Sol spiritus a Salomone dicitur.

Eccles. 1. 5.

Sydera animatio nulloquam ab Ecclesia damnata, quæ astrorum animatio damnata.

Augustinus Enchirid. cap. 58.

Basil. hom. 3. in Hexam. Cyril. lib. 3. contra Iul.

Alia Cælorum animatio quæ longe ab Origenis mente discedit, probatur magis auctoribus

Maximi viri pro animatione certant. Plutarchus de placitis Philosophorum cap. 3.

σφαι-

εξ ου-

εξ ου-

εμψο-

χως κα-

σπι-

κα 5.

Arist.

lib. 2. de

Cælo 3

textu 11.

vbi docet quod

Cælum

habet

sursum,

deorsum,

dextrum,

sinistrum,

quia hoc

omnibus

animatis

inest.

Ratio
Aristo-
telis ar-
gumen-
tum ani-
mæ est
motus
ab in-
terno.

principio mouentur; at Cæli & astralicer ab Angelis quod posthæc disceptandum relinquitur, moueri quoad accuratissimas cursus sui leges concederentur; nemo tamen aduersum Aristotelis perspicuam mentem negare debet esse in illis insitam & congenitam à natura sui motus causam. Nam etsi præcepta ambulandi & saltandi tradi videmus à peritis ad elegantiores corporis flexus, non tamen inficiamur esse in illis qui hæc discunt, naturalem mouendi facultatem. Ex quo plane iudicamus à vi illa motrice tam potenti, tam magna, esse insitam stellis animam.

Aristot.
lib. 2. de
anima
cap. 2.
Secunda
definitio
animæ
ab Ari-
stotele
data

Cælis
cōuenit,
τὸ ζῆν,
ἢ τὸ εἶναι
ἢ τὸ κινῆσθαι.
ἢ τὸ ἔχειν
τοπὸν, ἢ
χρῆμα
ἢ τὸ
φύσις.

Aristote-
les qua-
druplicem
vitam
seu ani-
mā ag-
noscit.
Loco
motiua
cælis cō-
uenit,
Omnia
præter
terram
& eius
agnata,
sapiunt
vitalita-
tem.
Seneca
Natural.
q. lib. 5.

Nec idèò improvidè Philosophus cum dixisset animam esse actum corporis Organici in potentia vitam habentis: aliam intulit eius definitionem qua asserit eam esse principium vegetandi, sentiendi, intelligendi, loco-mouendi: tum ibidem statuit quadruplicem vitam seu animam intellectiuam, sensitiuam, vegetatiuam, loco-motiua. Apertè hîc Pacius fidelissimus Aristotelis interpret quatuor animas ab eodem poni indicat: frustra autem quis hîc contendat vim nutriendi & crescendi æque inter species Animarum annumerari posse: hæc enim manifestissime complementa sunt animæ vegetatiuæ, at loco-motiua ducit agmen, & separatum ac proprium sibi ordinem cum alijs vendicat. Siquidem nutriri & crescere numquam sunt sine anima vegetante. At moueri in stellis sine mente, sensu, & vegetatione sunt.

Deinde sola vt videtur in mundo terra est cum agnatis sibi rebus, stuporis & opacitatis principium. Quæ superextat aqua, iam habet aliquid vitæ, quod tum perennes fluuiorum & fontium lapsus, tum reciprocates maris æstus satis indicant; Aër autem supra aquam vitalis est, & vt ait Seneca, habet vim naturalem mouendi, sed non aliunde conceptam, vnde modo spissat se, modò expandit, & purgat, aliàs contrahit, alias diducit & differt, inde venti existunt; nec ab simili modo fiunt cum aliarum concursu caularum quas in Oceano miramur, alternæ fluctuum contractiones, atque diductiones tanto corpori purgando apprime necessaria: hæc igitur tenuis aura vitæ quæ in his cernitur elementis, in Cælo longe validior. Nam astra quæque pro sua dignitate plena sunt spiritu igneo, à quo animata mouentur, & se in suos cursus explicant.

Aristo-
teles lib.
2 de Ani-
ma c. 2.

Tertio multa virgulta, multa animalia videmus nasci, nullo femine, quæ procul-

dubio à Solè, & stellis, & deciduis veluti ex Cælo virtutibus existunt: Quæ tamen nullatenus fierent, nisi esset in istis grandis & viuax anima, quæ quicquid vegetatiuum, quicquid sensitiuum in cæteris eminentè contineret. Nam si hæc ab Angelis assistentibus nasci dicamus, commentum est philosopho non ferendum. Neque enim Angeli possunt vllam formam propria virtute imprimere corporibus, nisi applicando, vt vulgo dicitur, actiua passiuus, tantum abest vt substantiam viuentem valeant per se producere. Quod si dicatur corpus cæleste ab intelligentia motum fieri completum ex omni parte instrumētum, quod eleuatur à Deo, vt earum quas diximus rerum productionem attingat. Num satis absurdum videtur, si relictis naturalibus causis quæ Philosophantibus sunt obuiæ, eleuari quotidie fingamus à Deo, & supra se inscendere quædam corpora, vt ex ijs herbarum aut animalium vilissima, murescunt & ranas insolita virtute procreet, quasi de Sacramentis & non de contemptis vermiculis agatur.

Tandem vt disputant, nimis præposterum, & nimis aduersus humani ingenij sensus insolens, tam abiectè, tam prostitutè de maximis summi Molitoris operibus sentire, vt muscas, & culices quod viuunt, anteponamus syderibus, & ipsi quidem soli inuisibilis Dei visibili simulachro, quo tot vitæ spirant, tot animantes viuunt, tot surgunt rerum miracula, & tota se naturæ opulentia explicat, atque profundit. Verendum ne audaces simus & in Philosophiam, & in Deum prope contumeliosi, si de hac pulcherrima luce, vnde nomen, vnde cultum, vnde vestem per similitudinem tam sæpe mutuatur in sacris, sic ludimus, vt ei papiliones & formicas anteferamus. Verendum ne non tantum imperiti rerum, sed aduersus sapientiam præfracti, de rebus superis luteis sensibus iudicemus. Nos quidem tam vili luto compositi, tam caduci, tam nulli, non debemus arroganti fastu contemnere stellas, quæ in nobilissima mundi parte ipsis creatoris manibus positæ in perpetuas æternitates lucent, nunquam veteres, semper nouæ, specie integra, perenni luce, ordinatissimo motu.

Præpo-
sterum,
audax,
Deo cō-
tumelio-
sum for-
nicam
soli præ-
ferre.

At quibus argumentis freti mouentem Spiritum stellis negant? Anima (inquit schola peripatetica) est actus corporis physici, organici, in potentia vitam habentis. Nunc autem vbi Soli, Lunæ, & stellis organa? vbi caput? vbi pes? vbi arteriæ? vbi venæ? vbi

Ratio-
nes ad-
uersario-
rum in-
firmæ.

iecur? & stomachus, & pulmo? quomodo comedunt, quomodo bibunt, quando crescunt aut generant?

Ridiculi fumus quando cælum ad terrena transferimus, res tam altas, tam sublimes, infimarum legibus includere conamur. Imitamur profecto brutum & filuestre mortalium genus, qui nullos esse in orbe terrarum homines putant, nisi canino ritu, quod ipsi faciunt, viuant. Cælum non putamus Animatum, quia non habet inferioris animæ sæpe miseræ semper, pudendas necessitates: infra hæc iudicamus quia supra est; nec tamen ignoramus hanc Aristotelis perplexam & vagam definitionem inferiorum animantium, stirpiumque naturas tantum respicere, quarum utique corpora in potentia fuere ad eas quas nunc habent formas, iisdem aliquando caritura. Nam ille ipse qui animationem cæli constanter asseruit, noluit illud hac definitione coëreere, cum doceat nunquam in potentia ad suam formam fuisse, nec fore, propter cælestium rerum æternitatem.

Anima
syderum
quæ.

Metaph.
7. lib.
cap. 12.

Φαμδν
γαρ τοῦ
Θεοῦ
ζῶον
εἶναι
αἰδρον
ἔδει-
γον.

Iulius
Firmi-
cus Ma-
thecos
lib. 1.
cap. 3.

Anima syderum non est sensitua, nec vegetatiua, sed loco-motiuua, quod genus animæ Aristoteles plane agnoscit, ut supra dictum est, & quidem iuxta eius sensum definiri potest, *actus corporis Ætherei, æternum circa centrum mouens*. Scilicet cum Deum animal sempiternum & optimum appellat, quis credat animam illi denegaturum fuisse, nisi haberet corpus physicum, organicum, formarum etiam, si placet, diuersarum per successionem potens. Non tam crasse de rebus æternis est philosophatus, in quibus etsi animam agnouit, hanc tamen à contagione sentientis vegetantisque naturæ, quam hinc cernimus, apertissime discreuit: Anima quippe cæli longè nobilissima vim vegetandi, atque sentiendi eminenter continet: non tamen cælum sentit, & vegetat, sicut cæteræ animantes quibus utrumque impertit. Quæres an igitur stellæ intellectuali anima præditæ, sicut asseruit Iulius Firmicus, cum dixit, *eas puro diuinitatis animatas conceptu, habere proprium sensum & prudentiam, Deoque ad perennis procurationis ordinem infatigabilibus ministeriis obsequi*. Sed tota hæc assertio inlubrico est, quamquam nec aperte fidei oblectatur nisi quis astra in societatem hominum, aut angelorum referat, & exponat in eis meriti, & demeriti capacitatem, atque etiam necessitatem æternæ, aut beatitudinis, aut miseræ; iam enim extra cancellos philosophiæ vagantur illæ proposi-

tiones & meritò in Theologorum censuram incurrun, quæ autem physice de hac materia pronuntiantur, non militant contra Theologiam: vnde sapienter Diuus Thomas scribit libri secundi contra gentes, capite septuagesimo, *hoc autem quod dictum est de animatione cæli, non dicimus quasi asseramus secundum fidei doctrinam ad quam nihil pertinet, siue sic siue aliter dicatur*. Idem certe asserit quoque nihil repugnare astra habere animam intellectiuam, nec ideo sequi ea ad videndum Deum esse condita. Est igitur probabile syderum animam formam esse nobilissimam à terrenis contagiis defæcatam, quæ in illis sit fons motus, caloris, potentissimarumque virtutum, quibus in naturam inferiorem influunt. Idipsum voluit Albertus magnus cum æquiucas cælis animas permisit. Porro quæ de anima loco-motiuua hinc dicuntur, credunt aliqui hanc in sex Planetis Saturno, Ioue, Marte, Venere, Mercurio, & Luna non inconcinne poni. At verò, solis stellarumque fixarum alia prorsus ratio est, utpote naturæ longè excellentioris. Hæc declamatione problematicâ fufius dicta sunt: nunc ut mentem nostram paucis aperiam,

Primò, hoc certum est & manifestum, ex sancti Augustini sententia, libro secundo de Genesi ad literam capite ultimo, & Retractionum libro primo, capite vndecimo, & ex placitis sancti Thomæ libro secundo contra gentes, capite vndecimo, hanc opinionem quæ cælis animam tribuit ea lege quam diximus non esse contra fidem.

Secundò, Aristotelis mentem pro animatione esse, non formæ quidem assistentis, sed informantis eius locos expendenti in clarissima luce est.

Tertiò, animam intellectiuam Cælo & Astris tribuere, etsi hic Aristotelis sit sensus, ut D. Thomas agnoscit, nimis durum est, & Ethnicorum superstitionibus affine, pro sensitua & vegetatiua militare temerarium, cum incrementi, decrementi sensus quoque illis inditi, nullum appareat nobis vestigium.

Quartò, restat anima loco-motiuua quam peculiare genus animæ ex sensu Aristotelis Pacius existimat. Sed quia communis Philosophorum schola hanc animam non recipit, nec videmus separatam ab intellectiuua, sensitua, vegetatiua, in aliis rebus existare, satius existimo cum de syderum animatione agitur, absolutè negare animata, ne videamur impingere in vete-

rum Philosophorum opiniones, qui de ijs nimis magnificè quasi de Dijs immortalibus sensere.

Quæ contrà hanc sententiam superius allata sunt argumenta, haud difficilj negotio dissolui possunt. Atque imprimis Scripturæ autoritas, quæ solem spiritum esse pronūciauit in Ecclesiaste parum efficit. Quis enim non videt metaphoram esse quæ ad rapidissimum Principis cursum fideris alludat? Negaret scilicet Salomon corpus esse, quod cæterorum corporum habet dimensiones, quod motu corporali mouetur, quod oculus videt, quod pene manus palpat in radio, quod toties per obiecta refringitur: & si corpus est, quomodo spiritus esse poterit, si de natura quæstio est? Nec refert, quod dixit S. Hieronymus, solem spirare, vigere, animare, quia vndique spiritus æthereos in naturæ gremium inspergit, nunquam tamē asseruit animari, nec alio spiritu quàm Rectoris vniuersi, sicut cætera impleri. Si qui dissentiant Philosophi haudquaquam sunt audiendi, sint licet antiqui, & magni nominis viri: nam stellis mentem, & diuinitatem erroris prodigi, & parci veritatis tribuere. Non aliter loquitur Iulius Firmicus, *Habent stellæ proprium sensum, diuinamque prudentiam*. Non aliter Plinius de sole, *Omnia intuens, omnia exaudiens*, inde errorum semina & nefariæ superstitionis virus.

At vrgent animari quicquid ab interiori principio mouetur: Non diffitemur Cælos à sua moueri forma, nec tamen illam quam habent formam, animam esse concedimus, quod animæ definitio illi nullo modo conueniat. Nec si quis de motiua tantum contendat, obtinebit, quod intendit. Anima si quidem illa nusquam solitaria est, nec aliter datur animanti, quam vt eat aut quò sensus rapuerit, aut quò mens impulerit. Iam si à Cælis sensum & mentem excludimus, quid faciet illud animæ spectrum sterilis, & nulli profuturum?

Sed vnde, inquiunt, tot animalia, tot virgulta nascuntur nisi ab anima Cæli? Nascuntur à Sole qui luce, calore, motu, & occultis viribus, totam inferiorem naturam agit, versat, & in tot rerum generationem coagmentat.

Restat vt indignissimam Soli fieri contumeliam clament, si iam exanimis postponatur culicibus, formicis ac vilissimis quibusque animalibus, sed nunquam nisi insulse comparantur quæ toto Cælo sunt

disparata. An gratias scilicet & virtutes & quicquid est diuinarum rerum, deterius vermiculis existimabo, quod hic substantiæ sint, illæ verò accidentia. Hoc Soli factis est quod sit primarius Dei minister in tot rerum statu, tot generationum continuareuolutione, quod sit principale naturæ regimen, amplissima magnitudine, ac potestate, purus, illibatus, incorruptibilis, immortalis, semper agens & semper quietus, largitor a Deo magnificus & nunquam exhaustus, Idem tot sæculis, & eadem præstans, vigore acerrimo, & in tot operibus inconcusso.

Frustra igitur Cælis animam ingerimus quam sapientissimus rerum opifex negauit, quid faceret in membris tam vastis, tam prodigiosis, quæ in proceris hominum corporibus languet? Dedecoramus vniuersum, si tot illi immania tribuimus animalia, vel potius portenta, quæ si nutrirī oportet, petire omnia necesse est.

CAPVT VIII.

Quòd lux non sit Solis & stellarum fixarum quæ Soli affines sunt, Anima.



Post denegatam stellis animam vegetantem, sentientem, intelligentem, locomotiua, occurrit quoque speciosa nobis opinio refutanda eorum qui asserunt, animam in sole & fixis nihil aliud esse præter lucem. De hac re variæ & implexæ sunt opiniones; siquidem ab Academicis lux dicitur corpus, sed materiæ expers. A Democrito & Leucippo materiaturum. Alhazeno est primum visibile & colorum hypostasis. Alijs media videtur inter corpoream, & incorpoream substantiam; alijs effluxus à corpore luminoso; alijs manifestatio colorati; alijs accidens intentionale; alijs vt Plotino & Marcilio Ficino forma substantialis, quod post veteres Augustino, Theodoro, & Damasceno placet.

Nam vt bene æquiores Physici disputant, nullo modo censenda videtur accidens in sole, à quo abesse non potest sine eius detrimento, & vt verius dicam, interitu. Neque enim facilius concipere solem sine luce, quam naturam hominis sine ratione. Tam repugnat solem esse dissitum à luce quam à seipso exulare. Lux ipsa quæ mundi incunabilis fulsit, sol erat, in-

Aristoteles libro 2. de Cælo c. 7. scripsit calorem. & lucem generari attrito aëre à spærarum latione; quod nec intelligi, nec probari validè potest. August. lib. 6. super Genesim ad litteram. Theodoret. q. 7 in Genesim. Damascenus lib. 2. de fide orthodoxa cap. 7. Lux non est accidens.

formis, & in Solem statim est transformata (vt habet S. Dionysius) nusquam rerum est in tota natura, vt quod est principium cuique suarum operationum, censetur illi accidentale & extrinsecum, quo frui & carere, nullo commodo, nullo incommodo possit. At quis non videt lucem in sole originem esse illuminationis, caloris, motus, & illius genitalis influxus quo totam naturam perfundit? ex quo necesse est vt non sit accidens, sed forma plane interna & substantialis. Inde plerique dulce sibi finxere commentum lucem Solis & stellarum animam esse. At licet forma Solis esse concederetur, non tamen erit anima, alioqui formas omnes in animarum numero reponendas absurde quiuis posset contendere. At verò dicunt animam nomen tantum conuenire illis rerum formis quæ subiectis à se informatis intrinsecavi & facultate naturali motum tribuit, quod vt supra dictum est, Aristoteles formæ globorum cælestium concedit.

Opinio eorum qui asserunt lucem esse spiritum.

Nec refert si quis dicat animas rerum formasque substantiales non videri, cum tamen lux omnium se oculis prodat. Quod enim cernitur (inquiunt) materia est à luce accensa; lux autem spiritus est lucidi corporis, qui cum non videatur, facit omnia videri, & in aëre producit lumen quasi riuum de fonte, in quo velut in origine residet informatiuus. Atque vt in nobis anima prodit se per sensuum operationem, sic lux per accensas perspicui flammæ. Ita plane author Physicæ restitutæ magno vir ingenio de igne philosophatus est, quæ ait ardentibus etiam facibus non cerni, sed aërem quem spiritus igneus depascitur & illuminat. Noua fortasse nonnullis, sed grata ipsis (vt volunt) magnifice philosophantibus opinio.

Nec tamen abnuit, D. Thomas opusculo quinquagesimo primo de natura luminis, *lucem posse dici formam substantialem solis, si quod cernitur oculis, veram & germanam esse luminis essentiam negare quis velit.* Hanc certè olim fuisse sententiam aliquot philosophorum aperte declarat, nec aliter impugnari eos posse ostendit, qui pro lucis substantia militant, quàm si dicatur forma substantialis non esse sensibilis, sed solo intellectu comprehendi. At si fateamur hunc qui in nostros oculos incurrit, fulgorem non esse id quod formam substantialem appellamus, tota vis argumenti retunditur: sed hoc profiteri non modò (vt asserunt) ad commendationem lucis illustre, verum etiam probabile est.

Nam quid tam rationi consentaneum quam pulcherrimo corpori pulcherrimam animam inferere? Lux est quæ prima inter res creatas sacrum os Creatoris Domini suo natali referauit. Prima quæ veluti iugales tædas Dei naturam desponsantis, consecrauit. Prima boni ab optimo nomen habuit. Nihil illa formosius, nihil amabilius. Hac Cælum ridet, hac loquuntur astra, hac Deus se in vniuerso pingit. Hæc primam, subtilissimam & spiritui propiorem materiam in splendorem immortalitatis quasi oleum inextinguibile ante diuinæ Maiestatis Thronum accendit, mox hunc inferiorem Mundum sua virtute animat, sua pulchritudine vestit.

Lucis enco-
mium.

Inde duo tantum rerum principia statuunt, vnum luminosum, & intelligibili naturæ vicinum, alterum corporeum, & tenebrosum, stuporis sedem & frigoris, quippe hæc materia est quam lucidus (vt aiunt) spiritus subiens aptat & componit. Nullum in mundo indiuiduum est quod naturæ lucis scintillam aliquam in se reconditam non habeat, sed prodit se maxime in præstantissimis quibus est magis sociale cum Deo, cum luce commercium. Certè per lucem, vt dictitant, omnia viuunt, & omnis vita lux est, ipsæ viuentium animæ radij sunt quidam lucis cælestis, qui vim motricem animalibus inspirant. Quæ deficiunt, claudunt oculos, quasi optimæ & amabili hospitiæ duro necessitatis imperio ianuam obserare cogantur.

Præclare quidem Iulianus philosophus Platonicus libro de sole ex Phœnicum philosophia disputans lucem in tres diuidit species. Vna est diuina, imo Deus ipse Pater luminum, de qua Auempace pronuntiauit, *lux & creator essentialiter non differunt*: Dixit quoque Apostolus Deus lux est, quod tamen non de hac quam cernimus, sed de spiritali luce intelligendum. Altera angelica seu Intellectualis quæ humanis etiam mentibus conuenit. Tertia solaris, diuinæ, inquit, Angelicæque intelligentiæ actus perennis per solis fenestram ad oculos emicans. Ex quo liquet hanc quam intuemur lucem esse, vt aiunt, primæ lucis purissimam emanationem, & spiritum quemdam medium de intellectuali procedentem: vnde etiam ad cælestium corporum animationem aptissimus ideo visus est. Quod verò lux non sit corpus, sed inter corpora, intelligentias & mentes, velut aliquid medium, multa (vt ipsi inferunt,) indicant. Primū penetratio corporum, & motus in instanti quæ nulli corpori

Ioan. 1.
15.

corpori licent. Deinde in tanta natura simplicitate tanta multiplicitas, sine sui decremento tam largiter, imò infinite exuberans: stante enim in face materia lux ardet inextinguibilis, nec perenni flammæ profluvio minuitur: obuia quæque illuminat, & quæ concipiendis ignibus apta sunt, accendit, in omnes benefica, & nunquam exhausta. Deinde cum tantæ sit suavitatis ut omnium corporum amœnitas & decor, omnium colorum mater habeatur, est tamen inuicta domitrixque tenebrarum quas statim dissipat, non vi aut contentione hostiliter eluctata, sed blando triumphans imperio, non expectat ut præparentur, ut disponantur sibi corpora, venit, videt, vincit, ubi cœpit, tota est, ubi desinit, nulla.

Adde quòd ubi descendit inferius, infinitos ex se mittit radios in vastam pyramidem diffusos, ubi ascendit cogit se & stipat in conum, in punctum, vnde vis immensa prorumpit. Non tantum formosa, sed diues est, nullius indiga, omnibus affluens, viuificum in se calorem alit, & continet, quo tranat cunctos mundi tractus, & cunctas permeat naturæ venas, sua cuique pro cuiusque captu imperiens. Nihil hinc corporeæ fecis, nihil egentis semperque mendicæ inest materiæ, omnia supera, omnia diuina, ut iam non pudeat in illa animam pulcherrimi Solis cæterorumque syderum agnoscere.

Hæc quidem omnia speciosè dicta sunt, sed tamen aberrant à vero. Nam quicquid est in rebus completis, aut corpus est, aut spiritus planè expers materiæ. Nemo dixerit lucem esse spiritum quales sunt intelligentiæ aut animæ nostræ; Restat igitur ut sit corpus, sed istud tenuissimum atque præstantissimum. Nec impedit quod dicunt de motu momentaneo & corporum penetratione: nam Iulius Scaliger & alij magni nominis Philosophi lucem in instanti ferri non putant, sed velocissime, nec penetrare corpora, sed per poros mira subtilitate admitti. Quæ verò de lucis simplicitate, incorruptibilitate, fecunditate, cæterisque perfectionibus adduntur, excellentissimum corpus lucis formamque rarissimam probant, spiritualem autem essentiam non euincunt. Certè quòd lux sit corpus supra omnia eximium censent magna nomina, & ingentes viri. Philolaus, Zeno, Epicu-

rus, Plato, Anaximander, Pythagoras, Leucippus, Heraclitus, & alij. Nec lumen secundum aliud putant quàm Solis effluxum eiusdem cum eo substantiæ. Sicut riuus est cum fonte.

CAPVT IX.

De Incorruptibilitate Cæli.

INDICANDA etiam si placeat à calumnia corruptibilitatis pulcherrima pars vniuersi, hoc præstare debuerat veneratio Domus Dei, nunc rationes quærimus ubi oculi loquantur, ubi experientia omnium sæculorum pronuntiat.

Mortales nos quotidiana funera, melius probant quàm Philosophorum dissertationes. Creditur oculis, experimentis creditur. Alios morbis etiam immaturos rapi, alios vri, alios mergi, alios secari ferro, toties cernimus, & dolemus. Tot inuenta mortis, tot factorum portæ, quid fumus & quidnam victuri gignimur clarissimè testantur. Iam tot mundos per tot sæcula funeratos atque sepultos premimus, instant nobis posteriorum vestigia, fastus etiam nostros calcatura, nemo de sua mortalitate nisi amens dubitat, nemo de Cælorum Incorruptibilitate nisi veritatis hostis male iudicat. Ecce nobis ante duo ferme annorum millia stellas annumerauere viri ingentes, quantum vis humani patitur ingenij, illis nomina imposuere, illis orbis, illis motus describere, nunc apparent tam seris nepotibus pulcherrima illa sydera, incorrupta luce, decore inconcusso, perenni motu, nihil illis tanta annorum vetustas eripuit, nulla vnquam labes infuscavit, quid argutias & commenta hominum quærimus, ubi Cælum tot aperit ora quot astra numerat?

Certè si qui nunc in historiis & scriptis celebrantur tot Reges, tot Heroës, tot immortalium librorum conditores extarent & viuerent, per tot mutationes rerum non mutati, nemo nusquam morituros non diceret, quos intactos tanta series æui reliquisset: & dubitamus de Astrorum perennitate quæ non tantum in Astrologorum monumentis quasi

Stellæ à multis sæculis numerari cæptæ.

Earum vigor perpetuus.

Hæc sententia, quòd lux sit spiritus, refellitur.

Luna
terræ
propior
nihil ta-
men ex
corrup-
tione
decer-
pit.
Vbi cor-
ruptio,
ibi in-
cremen-
ta & de-
cremen-
ta.
Tertull.
lib. de
velandis
virgini-
bus.

præterita relegimus, sed vbi que præsen-
tia ex omnium terrarum regionibus in-
tuemur. Si quæ Cælum corruptio tan-
geret, omnino proderetur in Luna, quæ
propius admota terræ eius tantum um-
bris aliquando perstringitur non corrup-
tione fœdatur: nam se in suis orbibus
intacta reparat, in suis se speculis osten-
tat, tam prudenter vaga, tam constan-
ter mutabilis. Adde iam quod vbi est
ortus & interitus, ibi necessariò incre-
mentum, ibi diminutio est. *Granum est
primò, inquit, Tertullianus & de grano fru-
tex oritur, & de frutice arbuscula enititur,
deinde rami & frondes inolescunt, & to-
tum arboris nomen expanditur; inde germi-
nis tumor, & flos de germine soluitur, & de
flore fructus aperitur.* Sic se habent omnia
quæ Cælo subiacent: at in cælestibus
aliæ leges, alius rerum tenor, solem
eadem dies natum vidit & patrem, nul-
la pueritiæ rudimenta stellæ sensere,
agere in illis & nasci simul fuit: post
tantam sæculorum vetustatem sunt quæ
initio fuere, prima in illis magnitudo
non decrevit, non crescit infima: vbi
igitur suspicio interitus, vbi nulla mu-
tationis, nulla varietatis argumenta?

Materia
Cæli nõ
mutat
formas,

Deinde si Cæli ex naturæ principijs
fieri per generationem possunt, & per
corruptionem desinere, necesse est vt
habeant materiam suomet ingenio per
diuersas mutabilem formas, quæ per vi-
cissitudines rerum nouæ semper cupidi-
tati lenocinetur. At nemo ex sole æ-
rem, nemo ex Luna terram, aut aliud
quodlibet indiuiduum factum vidit, ma-
net æternum ac manebit syderum mate-
ria iisdem illigata formis, suo contenta
coniugio, suâ pulchritudine locuples.
Quid conamur falcem temporis immit-
tere in illas beatorum sedes, vbi aduer-
sarij nulli, hostilitas nulla, sed iugis &
summa tranquillitas.

Respõ-
detur lo-
cis scri-
pturæ.
Psal. 101.
Isai. 24.
Luc. 21.
Apoc. 21.

Mouet sola sacrarum literarum au-
thoritas quæ Cælos toties perituros de-
cernit: *opera manuum tuarum sunt Cæli*
(ait propheta) *ipsi peribunt, & diuinus*
Isaias tabescet omnis malitia Cælorum, &
Cæli sicut fumus liquefcent: denique vox
ipsa Verbi intonat, *Cælum & terra tran-*
sibunt, quam sequutus Christi dilectus
Apostolus canit, *vidi Cælum nouum &*
terram nouam. Plenius etiam diuus Pe-
trus dixit, *adueniet autem dies Domini*
vt fur in quo Cæli magno impetu transient,
elementa verò calore soluentur.

Petr. 2.

Memuisse debuerant qui hæc ob-
ijciunt, scriptum esse eodem sancto spi-
ritu dictante, *terra autem in æternum stat.*
scilicet summus ille & prudentissimus
rerum fator huic quam calcamus ter-
ræ mundi feci æternitatem tribueret,
Cælum autem maiestatis suæ domum
tam præpostere dirueret? Numne
eius perennitatem asseruit? cum dixit,
*species Cæli gloria stellarum, mundum illu-
minans in excelsis Dominus. In verbis san-
cti stabunt ad iudicium, & non deficient
in vigilijs suis.* Tu vis illas emori, at
vox Dei ne dormire quidem patitur,
sed vigili & indefesso igne stare. Num-
ne regni Messiaæ æternitatem de-
monstraturus comparationem? sumpsit à
Sole & Luna. *Thronus eius, inquit, sicut*
Sol & sicut Luna perfecta in æternum, quod
verò de duratione eius intelligat satis
ostendit, *addens & permanebit cum Sole.*
Vide ne detrahas de Christi gloria qui
de Solis perpetuitate detrahere niteris,
in eo posuit tabernaculum suum, tu vis
demoliri, in facturam violentus, iniurius
in factorem.

Pugnantia igitur dices scripturam
loqui, quæ Cælos nunc perituros, nunc
in æternum permanuros asserat, non
pugnat secum, cum distortis hominum
sensibus pugnat. Quoties contraria dici
videntur in sacris, considerandum est
quid in toto, quid in parte, quid ex rei
natura, quid per accidens dicatur, quid
secundum modum, quid secundum sub-
stantiam. Expendi etiam præstat an ex
professo de rebus naturalibus differat,
an per transfennam tantum attingat: vbi
de mundo physice loquitur Ecclesiastes,
audio nihil permanere sub sole, solem
non permanere non audio, gyrare per me-
ridiem, flecti ad Aquilonem intelligo,
finire cursum vt incipiat, non finiri.
Etiam in illa decretoria die Cælo & terris
stupenda, accipio quod Sol obscurabi-
tur, & Luna non dabit lumen suum, non
accipio quod ipsa luminaria sint interi-
tura, quod nusquam postea futura sint:
non lego, etsi stellæ de Cælo cadere di-
cuntur, de iis intelligendum est quas ha-
litus in aère accensi fingunt, non quas fir-
mamentum alligat, sic locurus est poëta
maximus.

*Sæpe etiam stellas vento impendente videbis
Præcipites labi Cælo, noctisque per umbras,
Flammarum longos à tergo albescere tractus.*
Cum audis igitur ex sacris, *Cælum & terra*

Eccl. 4.

Eccl. 45.

Psal. 89.

38.

Psal. 71.

5.

Eccl. 2.

Matth.

24.

transibunt, ne mirere, transeunt enim quotidie Cæli dum mouentur, transeunt astra dum reciprocos motus obeunt, & nouos subinde situs acquirunt: transit terra in tot partibus & tam fecunda sobole, mutantur omnia, sola Dei verba permanent inter tot nouos Cæli vultus, inter tot elementorum concussiones inconcussa. Cùm audis Cælum liquefcere, & solui, & perire, intellige de suprema illa aëris parte quæ toties, vt dixi, in scripturis Cæli nomine venit; hæc enim in illa mundi conflagratione qua tot sæculi natiuitates (vt ait Tertullianus) vno igne haurientur, tota volucris flammis corripitur. Cùm audis Cælum nouum & terram nouam, intellige omnia Cælo terræque meliora: postquam hæc tot sæculorum feces igne cælesti decoxerit, illud vero tot nouis hospitibus auctum, tot radiatum coronis, tot palmis inclytum fuerit. Ita sentit magnus Dionysius de diuinis nominibus, ita Augustinus libro decimo quarto de ciuitate Dei, ita Hieronymus in Isaiam, ita sanctus Thomas libro contragentes & tot alij magni nominis viri, à quibus dissentire inani & cæca scripturæ quam peruerse intelligunt reuerentia, non tantum inutile sed pertinaci ignorantia proximum.

Dionysius libro quarto de diuinis nominibus. August. 14. de ciuitate Dei cap. 24. Hieronymus in Isaiam 51. vide Rubium.

CAPVT X.

Vnde Cometae & noua stella si nihil in Cælo generatur & corrumpitur?

RECENTIORES quidam Astrologi qui contra Cæli incorruptibilitatem militant, aiunt stellam quæ superiore sæculo in Cassiopæa fulsit, primum arietem Cælo admouisse, & summo ætheri generationem ac corruptionem euidentissimè intulisse. Digna Titane vox magis quam homine, quasi per machinas in astra irumpere possimus audaciâ proiectæ mentis, non subire veneratione conditoris. Ex Cometis corruptibilitatem ætheris conantur astruere qui mirari potius maiestatem debuerant.

Magna quæstio & exercendis tot sæculorum ingenijs nata, vnde sint, vnde fulgeant? certum est aliquos extemporaneos nasci in prima aëris regione; sicut faces & dolia, dracones & trabes in ho-

ram victuros. De ijs non loquor quos ad breue temporis spatium terreni halitus formant, præcipitant turbines, & sua ipsorum natura deuorat: de illis ago qui supra Lunam in ætherea regione ad multos sæpe menses ardent, composita specie, gradu certo, corpore nec solubili, nec fluxis vt putantur elementis compacto, qui omnium oculos, omnium orantandiu tenent affixa Cælo, ipsi stupendi & malorum vaticinijs toties ominosi. Plerique initio pedales, intra paucos dies quartam Zodiaci partem occuparunt, vt testatur Cardanus in Ptolomæum. Is qui anno millesimo sexcentesimo decimo octauo fulsit, primo die quo apparuit incendium longinqui tugurij ardentis æmulatus, coma viginti quinque graduum, per cuius raritatem stellæ transparebant. Visus vigesimo septimo Nouembris à sagittario emergens, ad medium Ianuarium durauit. Rarissime sex menses excedunt (ait ille) quamquam Iudaicus qui vastitatem Solymis denunciauit, per annum arsit. Sæpe die trigesima nonnunquam septima finiuntur: caudæ & crines rarioris sunt substantiæ, sidus ipsum densum. Multi siccitatem & maciem terris portendunt: siquidem Augustinus Nyphus tradit post Cometem visum apud Insubres, nullos imbres à Ianuario in Nouembrem extitisse. Alij diluuiam fecere ob calores, & abundantem vim vaporum, terra marique excitam: nulli fere impune Cælo caput exerunt; quales sub Xerxe, sub Nerone, sub Vespasiano, sub Carolo Caluo, sub Tamerlane, sub Henrico Angliæ octauo.

De ijs igitur cometis quæro vnde sint? vnde fiant? creditum multis & diu è terra nasci: fecit hoc Aristotelis veneratio, traxit deuias & attonitas mentes, nec conuictas argumentis, nec tamen ausas reluctari: sic magnis authoribus consecrantur errores, & probantur multa non quia placent, sed quia pudor est diffiteri. Noua illa Cassiopææ stella quæ anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo tam diuturno tempore spectandam se orbi terrarum præbuit, magnam opinionum caliginè discussit, Lycæo non non mediocriter concusso. Putauit Aristoteles Cometam nihil aliud esse præter halitus tenaces & viscosos quos stellarum radij in prima aëris regione accenderent, sic lacteam viam totam è fumis constare credidit quæ nunc per telesc-

Opinio Aristotelis refellitur.

pia prospicientibus manifestè stellulas suas prodiit à quibus ille lacti similis candor efficitur. Mirum non est si tantus vir pauca ignorarit, sed potius gloriosum quod tam multa tam perspicaciter indagavit. Damnaret ipse si reuiuisceret, quod nimis crasse deffenderè aliqui ex eius sectatoribus conātur: multa enim in hac opinione incōcinna, multa intolerabilia sunt. Aduersus eam locus, tempus, materia, forma, motus, sensus denique & ratio conspirant. Visi quippe omnes qui postremis his temporibus arserunt Cometæ supra Lunam, hoc tot lyncei oculi spectarunt, hoc paralaxeon notitia è tam diuersis plagis intuentibus euidentissimè comprobauit; ipsi qui antiquis opinionibus erāt fiderati, cum negare istud non possent, dixerunt esse quidem illum ignem vnā ex Cassiopææ stellis antè inuisam, quæ nunc se proderet propter ingentem exhalationum copiā oculis nostris interfusam. Ridiculè quæsierunt lucē in tenebris; nam si hoc halitus fecissent, nōne oportuit, totam stellarum viciniam solito maiorem videri? detrahunt vni quod omnibus circumstantibus nolunt impendi. Deinde quis sentiat tantam exspirationum congeriem, tam vago impetu dissiultantem tam diu contra naturæ suæ legem ad vnum sidus fuisse alligatam? Alij cum hæc diffugia tueri non possent, hærebant ambigui sibi, & suæ experientia fide detracturi, ne leuibus scholæ conclusiunculis derogarent, sed contra, huic opinioni obluctantes Cometæ, nuper de Æthereo suggestu pronunciarunt; nam si Cæli (quod Peripatetici volunt) solidissimi sunt, vnde planetarum orbis in modum tecti duratos irrupere? vnde tam firmam mundi lacunaria perfregerunt? si liquidi, quis credat terræ fumos tam immanem viam carpsisse, vt super astra conscenderent, nec tot immortalium corporum impulsu reuerberatos, nec tanto solis atque astrorum incendio statim fuisse dissipatos. Nimis præposterum est inferre cœnum in Cælum, nimis stolidum excretas de terra feces, inter limpidas stellarum faces reponere. Nimis hæc magnus arbiter inter se discreuit, quid auro argillam conglutinare nitimur?

Fac tamen ascendere, quis detinebit in superis? Ille qui Cassiopæam illustravit, per sedecim continuos menses arsit, quis credat terrenos halitus, tam fluxam & tam fragilem materiam internis externisque depastam ignibus tandiu resistere potuisse?

Si de draconum saltantiūmque caprarum genere fuit, cur non est eorū exitū consequutus? Quicquid est in istis igniū, totum subitaneum est, breui inflammatur, breui desinit; semper enim materia alendæ flammæ capax, aliquid habet terrestre, quod cum ab aëreis partibus per ignem secernitur, decidit, terræque redditur: vnde illi extra patrias sedes alimenta in nouum orbem transcripto? descendere illum semper oportuit, vt suo pabulo insisteret, & crassio rem aërem qui terris propior est, consequeretur.

Iam quis illo terræ fumos ad numerum composuit vt quotidie in absumptorum locum vicario munere succederent, non plures, non pauciores, vt orbem sideris ex æquo per dies multos apparentis iustissima mensura replerent? quomodo per tanta Cæli & aëris interualla non abripiuntur? quomodo non distrahantur, sed in certum locum ex destinato tanquam per tubos emissi veniunt? omnia insolita, omnia intentata. Sed nihil incredibilius quā tantam halituum copiam, tam prodigiosa flatuum volumina è terris exspirari. Nam si quis magnitudinem Cometæ vel vnus ex mediocribus consideret, inueniet profectò tantam eius molem esse, vt si tota in fumos tellus fatisceret, vix vni formando atque alédo sufficeret: intercipi oporteret aërem quem tot animalia hauriunt, quasi ad vnus voracissimi animalis saginam, nunquam tamen explendam.

Adde iam formam stellæ compositam, & constantem quæ ex vago exspirationum incurfu prodire nequit, adde motū æquabilem & germanum sydus cuius est statos orbis ducere, cum cæteri ignes cæco impetu per abrupta dissiliant. Tandem his postremis temporibus spectantium euicerunt oculi, euicit quicquid est humanæ rationis & coniecturæ non posse Cometæ tam fluidis & tam nullis principijs ascribi.

Quæsiuere alij causas in Cælo, inde nasci, illic interire voluerunt, multi ex ipsa Ætheris materia componi; quidam rem acu tetigisse putant, qui Solis ebullitiones ignem, per crateras & spiramenta eructantis dixerunt: & hic est aries quem Cælo intentasse gloriantur, sed parum oculate viderunt qui in eam abiire sententiam. Nam primum difficile est dicere, quomodo ex illo Æthere tam liquido, tam subtili, & veluti perpetuo syderum verberare incitato, tā nouæ & solidæ rerū species ap-

Nouæ stellæ aut in Cælo formata. Fromodus in meteorol. distinguit inter Cometæ caelestes & noua sidera. Ait enim aethereos Cometæ constari ex halitibus caelestibus quos sidera exspirant.

pareant, siquidem formæ crassis demum corporibus imprimi solent, in subtilibus non habent ubi consistant. Ille qui manet aër, potest figurari, qui rapitur & currit, ut ait Seneca, non dat sui potestatem. Deinde si fiunt à sole, aliquas etiã à stellis fieri necesse est. Ex quo solent quærere, cur tam præsentis quotidie materia, tam fecundis etiam causis illi in perpetuum incubantibus, tam rari prodeunt Cometæ, quos oporteret indies generari & innumerabili sobole cælestes orbes complere: maxime verò si sunt solis veluti æstuantis strigmenta, tam communes essent mundo quàm igni scintillæ, cum tamen in multos differantur annos, ut eorum raritas sæpe curiositatem indagantium fugiat. Non est credibile ita latere sub sole omnes qui gignuntur ut non aliquando semoti ab eo frequenter emergant & se omnium oculis obijciant. Adde iam quod Cometæ non tantum sub sole, sed in septentrione ubi intensum frigus, & in parte Soli ex diametro aduersa gignantur, quos nemo à Sole eructari prudens dicat, cum maculas & ista omnia eiusdem strigmenta in vicinia magni sideris ardere aduersarij fateantur. Ad hanc objectionem hæret Snellius vir utiq; modesti sensus magis quàm peruicacis, & excerni fortè ab alijs syderibus, putat, iam de sua sententia dubius, quòd certè abiret in immensum, si cuique stellæ tanta soboles adnascatur.

Anti-
quorum
opinio
de Com-
etis
valde
proba-
bilis.

Melius fere omnia viderunt antiqui, quorum nobis oracula velut ex sacrario prodeunt non spernenda, sed potius veneranda. Apollonius Myndius quem securus est Seneca, sagaci ubique & diuino ingenio, putat Cometæ esse inter perpetua naturæ opera, ignes ab ortu rerum mundo intextos, & propria, sui que iuris sidera, quæ altiora mundi secant, & tum demum apparent, cum in imum cursus sui venerint, & à sole fuerint illuminati; habent enim phases suas sicut Luna, quæ aliquando tota, aliquando nulla est. Hanc esse antiquissimorum Chaldæorum sententiam idem tradit qui Cometæ in numero stellarum errantium (sicut & Pythagoras) ponunt. Democritus censuit ea quoque sæpius multarum stellarum confinio coalescere atque extendi. Bene vterque iudicauit: nam credibile est Cometæ stellas esse erraticas extra ordinem gregemque cæterorum, forma motuque discrepantes, qui statis temporibus apparent, & demum se ex oculis subducunt cum in æthereas altitudines se denuo immerferint, aut extra

phasin quam à Sole habent, fuerint. Quæ autem in illis visuntur caudæ & projectiones, constant ex ignium ascitiorum aggregatione: permultæ quoque stellulæ per sphæras cælestes sparsæ, atque aliàs inuisæ, tum demum se produnt, postquam agmen fecere, & vibrantiores radios virtus vnita sparsit, transmissis etiam fortè per illa corpuscula, haud ita coacta, solaribus radijs. Nec valet quod obijcitur, Cometem si stella stellæ superueniens faceret, momento desitutum, quia summa velocitas siderum transeuntium est, cum cito idè ille cursus qui admouit, abstrahat. Hoc enim in Sole & Luna cæterisque planetis quorum deprehendimus cursus, vsu venit, ut ad modicum tempus cohæreant. Vnde & eorum stare sententia non potuit, qui dixerunt fieri Cometæ cum ex errantibus nobis notis alter alteri applicuisset, confuso in vnum duorum lumine. Nam si ita res se haberet, annis omnibus fierent. Sed alia ratio est stellarum istarum quæ sæpius in via lactea Cometis asciti visuntur nec tam citò dissociantur. At verò non tantum stellulis fortè occurrentibus aggregantur, sed ex se vim magnam ignium per accensum Ætherem fundunt, vnde & cum tanto ambitu criniumque suggestu feruntur, & diu se spectandos præbent.

Res tota manifestis experimentis conspicua fuit anno millesimo sexcentesimo decimo-octauo, quo celeberrimus Cometæ arsit: nam Cysfatus illustris Mathematicus, ut testatur noster Eusebius, historiæ naturalis libro secundo, vidit eundem per tubos opticos, & animaduertit constare minimis stellis, nunc coactius stipatis nunc laxiùs distributis, nunc paucioribus & maioribus, nunc pluribus & exiguis.

Christophorus Rotomanus duo contra hanc opinionem obijcit, quorum hoc primum est. Si Cometæ, inquit, essent corpora perpetua, prima creatione cum reliquis stellis condita, atq; tunc demum apparerent cum ex altissimo æthere in inferiora descenderent, necessario à prima apparitione quo propius ad terram accederent, eo magis crescere viderentur, rursumque ascendentes, eadem proportione decrescere, quemadmodum solent planetæ superiores. Nunc autem manet illis prima facies donec incipiant extinguì, & plerumq; primo apparitionis tempore maximæ sunt. Aduersus hoc respondere promptissimum est, falsum esse quod assumit & optica legibus contrarium, quæ apertissime docet esse istud omnibus corporibus

Seneca
natural.
99. lib.
7. c. 17.

commune ut è longinquo minora appareant, maiora de propinquo, nec vlla ratio persuadet cur soli Cometæ ab hac regula eximantur, imo experimentis reluctatur, attestante Seneca, *hi minuunt augentque lumen suum, quemadmodum alia sidera quæ clariora cum descendunt, sunt, maioraque ex loco propiore visuntur, minora cum redeunt, & obscuriora quia abducunt se longius.* Itaque ut ipse scribit, alij paulatim crescere ceperunt, aliorum cum creuissent sensim magnitudo distracta.

Alterum quod intentat telum, hoc est: si propter ascensum disparerent, nihilominus tamen semper eandem necessario retinerent densitatem, nec propter remotionem rariore fierent. At circa *dispersionem*, ut ait non eam retinent densitatem quam initio habuerunt, verum rarissimi existunt instar crinium disperforum, adeo ut per corpora ipsorum superiora prospici possint. Illis sibi Mathematicus fumos habens pro sideribus; debuerat animaduertere halitus illos quos fingit, stellas esse ex ascititijs perpusillas, quarum compago dum se laxat, & rarefcit, spargi in Cælo crines videntur, & corpora superiora apparent, remotis scilicet inferioribus, quæ viam oculis obstruebant. Existimo igitur Cometæ optimè inter perpetuos Cæli ignes reponi, quos naturæ maiestas seruat & mouet ex abdito. Pusilla res mundus est nisi in illo quòd quærat omnis mūdus habeat, ait vir diuinus. Sunt qui putant à Deo creari de nouo in ostentum, & cum orbem suum peregerint diffuari, atque extingui. Sed nullo hæc fundamento diuinant; & nouas mundo species ingerunt, quem semel omnium prouida mens absoluit, frustra ortus & interitus quærunt in illa sede quam rerum nascentium atque intereuntium vicissitudines nunquam exercent. Hæc Dei potentia est, initio fecisse quod putamus fieri, & apparere tantum, quod oriri credimus: quoties nos terret ostentis, non solem nouum, non lunam creat nouam, pallorem tantum illis aut nigredinem inducit: habet & Cometæ à mundi constitutione dispositos, quibus generi humano petulantius lasciuenti minas intentet, sed timere ista magis quàm discutere conuenit.

CAPVT XI.

*An moueatur terra Cælo quiescente.
Defensio Communis opinionis.*

N

ihil non dubium fecit mortalibus audacia dubitandi: Terram ab exordio mundi quiescentem in motum sollicitarunt plerique veterum. Hanc opinionem iam multis defossam sæculis Copernicus eruit, & in posteris non tantum approbatores sed etiam defensores inuenit. Nam post Galilæum, Philippi Lansbergij & aliorum pro motu terræ commentationes prodierunt in lucem, quæ non cunctanter asserunt quod difficillime creditur. Certè *digna res contemplatione* (ait Seneca) *ut sciamus in quo rerum statu simus, pigerrimam sortiti an velocissimam sedem? Circa nos Deus omnia, an nos agat?* Primum, inquit, Ptolomaïca Hypothesis de quiete terræ pugnat è diametro cum ordine à Deo in rerum natura constituto, quo fit ut stellæ in minoribus sphaeris velocius moueantur, in maioribus tardius: Luna enim minimum Cæli orbem secans, cursum perficit spatio mensis, Saturnus in maximo planetarum positus triginta annis suum iter euoluit. Sed cum sphaera fixarum infinito penè interuallo Saturno altior sit, aut quiescit, aut certè tardissimus illi motus competet, ut manifesta, inquit, absurditate Ptolomæus huic velocissimum, puta diurnum, videatur assignare.

Nihil erat cur Ptolomæum conuicio proscinderet, tanto hiatus nihil dignum allaturus. Nam quod ait planetas, quo altiores sunt eo lentiores esse, non est necesse; siquidem (ut præclare dixit Seneca) longius eunt, non tardius. Nam si Saturnus & Luna eundem orbem decurrerent, hæc vno mense, ille annis triginta, manifestissime vnus velocitas, contra alterius segnitiam probaretur. At verò cum spatia quæ carpit Luna, breuissima sint, Saturni verò ampla & immania, tota vis rationis hebescit. Non rapidius cucurrisse dicam, qui Lutetiâ Rothomagum attigerit quinto die, quàm qui Romam decimo. Ex quo neque Lunam sole perniciosem iudicabo, quòd breuius iter paucioribus diebus absoluat. Atque ut illi totam ratiocinandi licentiam permittamus, non quòd vult efficit: Sphæram quidem octauam lentius moueri, omnino non moueri haud quaquam probat.

Lib. 1.
cap. 5.
de reuol-
utioni-
bus mo-
uum
cæle-
stium.

Lansber-
gij ra-
tiones
contra
Ptolomæum
pro mo-
tu terræ
refutan-
tur.

Alterum intorquet argumentum, quo demonstrare contendit Cælum & astra non indigere motu diurno, sed solam terram. *Quid enim (ait) nonne mater ad focum liberis inuoluendis intenta, pr. posterè ignè circa illos conuerit, quos tranquillius & minori cum molestia igni quiescenti exponere atque obuoluere possit: ita etiam ineptam dico naturæ operationem, si solem circa terram quiescentem circumducatur, quam oportebat uoluere ac conuertere ad quiescentem solem, ut uiuifica eius vi cum omnibus quæ gremio sustinet, fruatur.*

Lepida quidem & faceta ratio, sed nutriculis potius digna quam philosophis? Nimis imperitè, atque etiam fordidè beneficentiã nasci ex indigentia putat. Solem terram stantem circumire, ut illuminet, ut faceret non patitur, quia spheræ, inquit, cælestes hoc motu non indigent, sed indiget terra, cui Deus per solem prouideri uoluit. Hanc maxima quæque legè habet, ut impertiant se minimis. Ipse qui nobis impensus est Deus, ad nos quotidie uenit, nullius indigus, largitor omnium. Non expectat ut ad eum uoluamur, præit ipse, & sæpe inuitos adoritur, sequitur reluctantes. Dare semet inferis supera iubentur, ita misericors pater auaritiã à cælestibus exclusit. Deinde putat nobis minuta similitudine quasi præstrictis illudere Mater, inquit, infantem obuertit igni, non expectat ut circa ipsum circumuoluatur focus. Nempe insana esset si expectaret, ut muri, & lapides camini, ut ligna circa se choream ducerent. At nos scimus astra circuire terram quia hæc iners & immota, illa uolucris corpore & plena spiritu igneo.

Tertio loco proponit *infallibile* quod uocat argumentum, ex Mathematicis principijs colligit ingentè primi Cæli magnitudinem: quod si motu diurno intra uiginti quatuor horarum spatium circumuoluatur, necesse est, inquit, tanta uelocitate moueri, ut intra diem unum conficiat milliaria 55628464617. intra scrupulum 643848. cum terra tantum intra idem tempus numeret 5400. intra momentum decimã sextam partem milliariis. Inde infert motum magis terræ competere quam Cælo, ut quæ ad mouendum se propter exiguam corporis molem sit magis expedita.

Longæ hinc uerborum ambages quas breuiter soluimus, negado quod assumit, primã spherã diurno motu tantum spatij decurrere, & si quidem decurrit, ex præstantissima uia à Deo illi indita fieri. Absurdè

autè probat mouendi impotentiam à magnitudine corporis: sic enim formicã perniciore esse gigante contendere, sic globulum plumbeum suapte natura immobile, & celerrimis etiam equis uelociorem demonstrare possem, quæ omnia inconcinna sunt: non enim à paruitate corporis, sed à ui motrice tota mouendi ratio desumitur, quæ cum in Cælis maxima sit, in terra nulla, non est mirum hanc illo moto quiescere. Restant quædam argumenta quæ à motu Lunæ cæterorumque planetarum eliciunt Mathematici; sed cum omnes fateantur siue stare Cælum dicamus mota terra, siue Cælum moueri terra quiescente, easdem in Cælo profus exhiberi apparentias, frustra confugiunt ad erratum stellarum cursus quæ nihil illorum fauent errori. Nam Ptolomæus & Tycho-Brahe ille in antiquis, hic in recentioribus peritissimi, cum pro motu Cæli steterint, omnes tamen omnium syderum cursus ad iustissimas leges composuere, ut superuacuum sit fundatissimas opiniones leuibus argutiolis fatigare.

Ludicra sunt ergo quæ aduersarij ad tantæ opinionis patrocinium obijciunt, contra uerò stant Philosophorum & Mathematicorum, omnium denique hominum sensus qui terram in medio mundi stabilem constantissimè posuere. Stat diuinarum literarum autoritas quæ Ecclesiastæ primo solem oriri & occidere, gyrare in meridiem, flecti ad Aquilonem apertissimè testatur. Quod autem respondet Lansbergius hæc tantum apparenter fieri, periculosa responsio est: sic enim rebelles lumini fidem maiorem conuellere nituntur, dum mysteriis per figuras illudunt. Quid si semel hæc *apparentiæ* distinctio in rebus etiam notissimis admittatur, nihil erit quod tentare audacia aduersus fidem non possit.

Addo etiam cum corpori simplici unus tantum & simplex conueniat motus, ut præclare ab Aristotele libro primo de Cælo disseritur, certum est omnino terram quæ utique elementum est, uno tantum modo moueri: at cum hic motus sit ad medium, & ad centrum, ut clarissimè experientiam constat, superfluum est aliū comminisci motum, eumque naturalem quem nemo nisi somnians sentiat. Habent hoc elementorum partes ut se ad totius normam componant. Ita modicus ignis, aut aer, sursum nititur, ita effusæ pauimento aquarum guttæ se in orbem componunt,

Rationes pro quiete terræ.

Oceani rotunditatem imitatæ, ita decerp-
tæ de terra particulæ, si permittantur suæ
naturæ, statim deorsum cadunt, & se ad
sui elementi motum componunt. Quis
vllam vidit vnquam circulariter moue-
ri, & orbem circa nos naturali motu du-
cere?

Præterea fatentur aduersarij pondus de
excelsa turri demissum, intra suum per-
pendiculum cadere, quod quidem nullo
pacto fieret, si terra in gyrum raperetur.
Nam dum lapis descenderet, terra interi-
rim commota locum illum cui antea lapis
imminebat, desereret: Respondet Lans-
bergius turrim, terram, aërem & pondus
simul promotæ eundem ad se mutuo ser-
uare situm, sed quis credat molam aut in-
cudem ex alto descendentem, & recta li-
nea vergentem in centrum, ab aëre etiam
supero, in transuersum ferri per longin-
qua spatia, & rapidissimum quem fingunt,
terræ motum comitari.

Si ita est, quæro, cur orbe terræ ab oc-
cidente in orientem (vt volunt) agita-
to, nobis in occidentem euntibus vali-
dissimus aër non obsistit? cur leuissima
corpora non reuerberat, qui potest etiam
immania ferri pondera à cursu suo detor-
quere?

Denique si terra quod etiam palam asse-
uerant, à septentrione in meridiem, aut
contra mouetur, necesse est vbique & per
momenta singula poli altitudines variari.
Nam quotidianâ experienciâ planum est
ad septentrionem ambulanti bus sensim
polum eleuari. Nil hîc interest vtrum aga-
mus aut agamur, certè qui nos admoueret
Aquiloni terræ globus, supra nos magis ac
magis arcticum polum erigeret, antarcti-
cum, si ad meridiem volueretur: at nihil
horum experimur, idem manet nobis si-
tus, idem ad polos aspectus, siue ad can-
crum, siue ad capricornum terra adrepat?
Quid hîc ergo garriunt? Quid strepunt,
nouitatis auidi, expertes veritatis? Sed
tamen ignoscendum illis, si cum singulis
noctibus vsque ad antipodas eant, & im-
mania mundi spatia dormiētes ementian-
tur, graui laborent vertigine, cui nullæ
Machaonum artes possint subuenire.

COROLLARIUM DE
MOTU TERRÆ,

*Aduersus eos qui ne diuina quidem potentia
fieri potuisse contendunt, vt manente hoc
rerum ordine terra moueretur.*



VIETEM igitur terræ supe-
riori dissertatione probare
placuit, quod hæc sententia
Scripturæ, Ecclesiæ, & pio-
rum hominum sensibus sit
magis consentanea. Sed longè abeunt à
vero qui motum terræ ita absurdum pu-
tant, ita contradicentibus propositionibus
implicatum, vt ne diuina quidem po-
tentia, manente vniuersi ordine fieri po-
tuisse credant. Non ea mens fuit S. Augu-
stini, cui cū hæc quæstio proposita fuisset
à fratribus, neque fidei, neque naturæ
aduersam iudicauit: Sed tantum respon-
dit multum subtilibus & laboriosis ratio-
nibus ista perquiri, nec sibi iā tempus esse,
nec ijs esse debere, quos ad salutem suam,
ex sanctæ Ecclesiæ necessaria vtilitate
cuperet informari. Si quis igitur tantum
ex hypothesi disputet, & dicat, quod si
Deo ita placitum fuisset ab exordio mun-
di terram mobilem, Solem verò, & or-
bem stellarum fixarum immotum consti-
tuere, non deesse rationes quibus hoc ni-
hil aduersus Dei potentiam impeditum,
nihil aduersus naturam inconcinnum con-
tinere, possit ostendi, non omnino certè
à scopo aberrabit, sunt enim non contem-
nendæ.

Prima est Copernici quod nobilior sit,
& diuinior conditio immobilitatis. Hæc
nobis à Deo lex, hic ordo describitur, qui
inter tot rerum inferiorum vicissitudines
semper immotus stat, & inconcussus, vnde
non immeritò dixit Boëtius.

Stabilisque manens dat cuncta moueri

Itaque cum sol inuisibilis Dei sit visibilis
imago, omnium quæ intra naturæ corpo-
ræ limites continentur præstantissima,
optimè in centro mundi immobilis inter
terram & planetas mobiles constituitur
sua luce perfundēs, & sua vi penetrās vni-
uersa. Vnde & tellus & cæteri orbis pla-
netarū illi continuò adrepunt, & in illum
quasi per æternā choræam feruntur, tam-
quam ad viuificum fontem, à quo Deo ita
dispensante hauriunt omnia: orbis quoq;
fixarum

Motus
terræ si
ex hypo-
thesi dis-
putetur,
probabi-
les ratio-
nes hæ-
bet.

De Ge-
nesi ad
literam
libro 2.
c. 10.

Coper-
nic. lib.
1. de re-
uolutio-
nibus
cap. 5.

fixarum quia septum est totius mundi & clarissima domus Dei infinitis collustrata stellis, quæ ut credibilius sapientibus viris videtur, à se lumen habent post Deum, non immeritò quoque statum habet & quietem perpetuam.

Secunda est eiusdem authoris, cum Cælum sit quod continet & celat omnia, communis vniuersorum locus, non satis apparet, cur magis continenti quàm contento, locanti quàm locato, motus attribuatur. Absurdum quippe esset caueam volare & vbique discurrere, auem verò in ea positam quiescere.

Tertia Galilæi, Kepleri, & cæterorum, natura nunquam facit per plura quod meliùs facere potest per pauciora. At si dicas Cælum moueri, terra quiescente, infinitæ ambages occurrunt: primum enim voluenda sunt continuò immania atque immensa fixarum stellarum corpora, circa vnum & vile punctum. Deinde contra ordinem naturæ assignandi vni corpori naturali & simplici duo motus contrarii, quibus vnà & simul rapi in ortum & occasum planetæ dicuntur: committenda est æterna quedam pugna inter cælestes domos, vbi summa pax: concedenda est in illis maxima motu inæqualitas, quæ cogit fingere eccentricos, epicyclos, stationes, retrogradationes, tot labyrinthos rerù; at si globum terræ ad id & paruitate sua & rotunditate satis compositum, ipsaque necessitate utilitatis suæ satis compulsum moueri fatearis, omnia non solum commodissimè fiunt, sed clarissimè etiam intelliguntur, ut in accuratis Astrologorù obseruationibus patet. Quis ferat ob tantillum terræ punctum tam immensa Dei opera laborare, & perpetuò impediri, idem profecto, ac si quis concionem audiens, nolit in concionatoris suggestum caput obuertere, sed totam templi machinam ad se conuerti.

Quarta iam superiùs perstricta, est Lanbergij qui contendit non solum rationi consentaneum esse Cælum quiescere, terram moueri, sed aliter fieri non posse. Nam si sphaera fixarum motu diurno circa terram raperetur, oporteret eam vno momento (ut mathematicè probat) plusquam sexcenta millia milliariorum Germanicorum percurrere, quod est extra corporis physici naturam: at verò terra mouendo se eodè temporis scrupulo decimam sextam milliariis partem tantum absoluit, quod est mensura temporis globuli è tormento emissi, vnde citatissimus eius motus, & tamen rationi non aduersus statuitur. At si contrariù

dicas extra omnem vim concipiendi, & humani sensus legem inuenietur.

Quinta ex eodem iam libata: quò altior sphaera eò tardiùs cursum obit, sic Luna celerius Zodiacum percurrit, quia omnium infima, & intra vnus mensis spatium suum decurrit pensum. Sol vnū annum obtinet, Mars duos, Iupiter duodecim, Saturnus quia omnium editissimus, triginta. Hoc est igitur naturæ leges peruertere, & ordinè statutum Cæli diuellere, si dicamus esse aliquod primum Cælum idque mobile, Saturno infinitis fere partibus excelsius, quod tamen proprio sibi motu & non alieno, intra vnum diem naturalem cursus suos tam immensos absoluat.

Sexta ex Keplero: primū Cælū vel est extrorsum infinitum, ut vult Guiliel. Gilbertus, vel finitum: si infinitum, absurdum est ut finito tempore totum euoluatur: si finitū, extra tamen illud nihil est quiescens, quod eidè præster locū. Vbi verò nihil est quod quiescat, ibi motus nullus est. Nam motus est separatio mobilis quatenus mobile de loco suo quiescente, & translatio in locum alium. Quod si dicas esse Cælum empyreum, supra Cælos mobiles quietū, iam istud extra physicam est, & captum humani sensus, neque ex scriptura aut fide conuincitur esse aliam sedem beatorum præter purissimū & amœnissimum locū qui est supra conuexam superficiē firmamenti.

Obiectiones autem variæ hypothesi quæ dixi semel constituta, sic ab eis soluuntur.

Prima vrgetur maximè ex variis scripturæ locis qui terram in æternum stare, Solem oriri & occidere, gyrare in meridiem flecti in Aquilonem manifestissimè dicunt, ut est apud Ecclesiastem. Adde quod in libro Iosue Sol semel tantum stetit, non natura quidem, sed miraculo dicitur. Sed Forcarinus eruditissimus Carmelitanus conciliationem Mathematicæ cum Theologia libello singulari edidit, qua diluuntur argumenta quæ ex sacris militare aduersus hanc sententiam videntur.

Primum enim sic statuendum est, nequam fuisse sancti spiritus aut Christi Dñi in sacris paginis institutum, ut nos Astrologiam doceret, sed in istis prudentissimè ex communi hominum sensu, & consueto intelligendi modo locutus est, alia longè diuiniore mente agitans: ut enim Seruator noster licet omnium linguarum peritissimus, Syriaco & quidem barbaro sermone utebatur, non ad Hebraicam elegantiam composito, ut se vulgi consuetudini commendaret: ita & in physicis authores sacri

Obiectiones contra motum terræ ex hypothesi disputantibus soluuntur. Eccles. 1.

Iosue 1.

non quærunt abstrusa rerum, ambagesque opinionum, sed vſitatiffima inter mortales pene omnes forma contenti ſunt: nec tamen deſectût à vero, ſi libeat etiam commodè & ſapienter intelligere. Nam quòd ait Eccleſiaſtes terram in æternum ſtare, veriffimè dixit de ſtatu conſiſtentia, quo tot mixtis naſcentibus & intereuntibus, ipſa perpetuò remanet immutata, nec tamen inde ſtatû quietis contendit aſſerere. Non diſſimiliter optime dicitur Sol oriri, cùm terra ſe in eum conuertente, nobis promitur, & occidere, cum eadem ſe auertente celatur. Ire in meridiem & Aquilonem cùm in eas plagas radii eius qui terræ currenti adhærent, ſparguntur, ita & ſub Ioſue ſtante videlicet terra, radius Solis nò commouebatur, ex quo ſtationem aſtri nouam & inuſitatam inferre liquidiffimum erat & in vſu communis ſermonis receptiffimum: ſapit igitur ſcriptura vbique diuinis moribus, ſed in phyſicis ſe ad notitias hominum tritas accommodat, ne magis Philoſophiam quàm ſacra oracula pandere videatur. Ita planè S. Hieronymus in Matthæi caput 14. *Conſuetudinis ſcripturarum eſt, vt opinionem multorum ſic narret Hiſtoricus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur.* Sic Lunam luminare maius appellat, cùm tamen ſtellæ omnes longè maiores ſint, & terram ſuper aquas fundatam memorat, cùm rei ipſa vbique ſubſit Oceano.

Secunda obiectio eſt ex ſenſibus qui motum illum terræ nullo modo diſcernût.

Reſpondent, vt inæquale non cognofcitur niſi per æquale, ita nec motum cerni niſi per quietem. Cum terra, igitur & aqua, & ſphæra quoq; æris, & omnia mixta agitentur circà nos, & nos ipſi eodem motu eoque velociffimo & ſuauiſſimo agamur, nihil putamus moueri: ſic in naui vectores promoueri ſe non perſpiciunt, niſi ad ſtantes ſcopulos, aut pagos, aut vrbes, à quibus diuelluntur, aſpiciant.

Tertia cur ædificia igitur omnia tam rapido motu concuſſa non diſcerpuntur? cur non cadunt animantes? Sed hoc ſibi fingere puerile eſt, cum iſte terræ motus non ſit hoſtilis & violentus, verum ſuauiſ, & ex communi naturæ bono ordinatus. Vrbes autem, & caſtra, & domus, & animalia nullo modo lædi poſſunt, quia vbique ſuo centro nempe terræ regulariter hærent, & cum ea placidiſſimos circuitus ducunt.

Quarta cur arborum folia quæ modicum quemque ventorum ſufurrum ſentiunt, & aguntur, in tanto commoti orbis ſtrepitu manent immota? Facilis ad hanc reſpon-

ſio eſt, moueri arborum folia leuiſſimo quoque zephyrorum ſtabelle, quia tunc allifio eſt corporis alieni, nempe vaporis aut halitus ex aduerſo impingentis. At hic motus terræ illi à Deo ad cõmune bonum ingenitus, non impingit, non allidit, non ſolum mitiffimus, ſed etiam æquabiliffimus eſt. Non eſt timendum ne nos tanquam mobili globo agrè inſiſtentes concutiat & percellat ſemper titubantes, ſemper laſuros. Cur iſtud miremur cum in nauigiis etiam rapide currentibus videamus, nec qui vehuntur diſtrahi, nec folia, nec flores in menſa poſitos agitari, nec factis accenſæ flammam obuerti, nec ſcyphos fundi. Certè motus hic quem terræ adſcribunt, inſtar eſt temporis intra nos labentis, quo nemo ſe incurſari, nemo allidi ſentit.

Tacitiſque (vt ait ille) *ſeneſcimus annis*, inde quoq; ſit vt terrâ ab occaſu in ortum motâ, qui ab oriente veniunt, nullo modo ſe reuerberari ſentiât, quia cû iſte motus ſit generaliffimus & maximè naturalis, agatque nos & circa nos omnia, priuatis & particularibus cuiuſq; rei motibus nullo modo reſiſtit, ſed vt vectores naui in orientem rapidiffime incitata, æquabili facilitate in occidentè diſcurrunt, & piſces intra eandem nauim motam ſi in vaſe aqua pleno ponantur, circumquaq; non impediti ſaliunt: ita nos in omnem orbis partem comreamus, nec illa agitatio tam blanda, & naturæ viſceribus indita cuiquam officit.

Quinta quid de lapide aut ſagitta dicetur quæ ſuſum intorta in eundem terræ locum ad perpendiculum recidit, quod nò faceret, ſi dum mouetur, terra ſe interim promouendo ſurripuiſſet?

Reſpondetur ærem & lapidem ſimul aut ſagittam proiectâ ſuſum, moueri interim motu terræ; hæc eſt enim lex proietorum, quod experientia ſatis docet, vt in altum etiam ſubuecta non deſinant moueri motu què terra aut vir inherens terræ imprefſit.

Sexta cur terra inclinante motu annuo modò in aquilonem, modò in aſtros non mutantur poli, cum certè euntibus à meridie in ſeptentrionem contingat polum eleuari, contra verò à ſeptentrione in meridiem tendentibus deprimi.

Reſponſum eſt non mutari nobis polos, quia hic motus non eſt reetus vt iis qui in diuerſas mundi plagas ambulantes comreamus, ſed circularis, terra ſuper eundem axem, & ſuper eoſdem polos vbique ſe vertente, ipſoque axe eundem ſitû, & axi mundano parallellum con-

stantissimè seruante. Quod si cōuoluta per spiras describit aliquos breues circulos, hoc tamen ratione paruitatis terræ ad cælum comparatæ, non est perceptu facile. Vt enim in horologiis condendis euenit vt quisque, vbicumque est, sibi centrum terræ etiam in tanta locorum differentia statuatur, nec tamen operatio fallit: ita & si qua eueniat in polis mutatio, ex hac terræ conuolutione, non est tamen sensibilis.

Septima si terra ab occasu in ortum tenderet, continuò nubes & aues nobis in contrariam cæli partem ire cernerentur, quod tamen non apparet. Respondetur rectè inde colligi Planetas, stellas fixas, & cætera eiusmodi ire apparenter ab ortu in occasum, quia extra terram sunt: At verò aërem, & quæ in aëre sunt, quia ad globum terræ pertinent, cum terra ab occidua parte in orientalem rapi motu generali, nec tamen inde particulares cuiusque rei motus inhiberi, quominus ad destinatum sibi cursum placidè deferatur.

Octaua, corpori simplici vnus tantùm simplex motus conuenit: cùm igitur terra suo pondere deorsum rapiatur, absurdum est circulare illi motum ascribere. Respondetur grauitatem non inesse toti terræ globo, sed tantùm partibus, vt tendant ad centrum. Itaque ex natura sua perpetuò in orbem mouetur tota, sed quæ per accidens ab ea diuulsæ sunt partes, rectè in centrum suum redeunt, vt circuitus suos cum tota mole obeant. Si orbis terræ tam grauis esset ac ponderosus, qualem prædicant, longè mirabilius esset in aëre pendentem æterna vi distineri, quàm suauis & placido quem diximus motu circumferri.

Nona: duæ Bombardæ per omnia æquatæ, quarum vna in ortum, altera in occasum displosa, idem prorsus spatium conficiunt, quod non eueniret, si terra moueretur: nam quæ ab occasu in ortum iret, longiùs progredieretur terræ motu adiuta. Quæ verò ab ortu in occasum transgredieretur, terræ ex aduerso venienti occurreret reuerberata, & minus viæ emensa. Respondetur hoc verum esse ratione spatij mundani immobilis & fixi, vnum altero plus spatij decursurum, non autem respectu subiecti mobilis qualis est terra: eâ enim motâ, omnia quæ in illa sunt pariter mouentur, non citius ibit globus Bombardæ in ortum quàm in occasum motu terræ, quia æqualiter hoc modo mouentur omnia. Habent autem singula suos particulares motus inter alios terminos qui non impediuntur à motu generali. Sic rectores in

naui, sic muscæ in rota currente, sic planetæ mouentur à se & à primo mobili.

Hæc illi, quæ speciem habent rationis non contemnendam, nec inscitè probant motum terræ extra diuinam potentiam non esse, actu autem existere nunquam euincunt.

Celeberrimum illud est Archimedis ad Hieronem regem dictum. Da mihi vbi stem, & mouebo terram. Stare primum quærebat antequam moueret: illi autem moti mouere volunt, & continuo turbine versati agitant quæ vel maximè quietos fatigare atque impedire possunt. Nihil in rebus magnis atque insolitis temerè credendum est, nisi aut fides imperet aut ratio demonstrat.

Contra omnium mortalium sensum, contra omnium placita sæculorum, pauci & antea ignoti homines acie struxere, ipsi inter se pugnatibus cōmissi sententiis.

Nicetas stare omnia supera voluit, solam terram moueri. Philolaus & Aristarchus duo immota constituunt, Solem & stellarum fixarum Sphæram, cæteros planetas mobiles faciunt. Alij terram in centro mundi reliquere, alij gigantæis conatibus tulerunt in Cælum. Magnæ hîc ambages, & lymphatæ mentis supra Prometheus audacia.

Quantò modestiùs audimus. *Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt Patres tui.* Stant cuique agello sui limites, non stabunt per vagam hominum curiositatem mundi mœnia & valla quæ diuina prouidentia disposuit? obstat istis opinionibus Religio, obstat ratio, obstat sensus. Clamat Propheta, *fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi.* Ratio suadet non esse consilij diuini, homines & animalia, & quicquid fixum esse volumus, in desultoria sede collocari, nihil per tot sæcula simile quid sensus aduertit, nimis tenue est obiicere motum Cælo non competere quod naturæ sit præstantioris, cùm Angeli excellentissima conditione nati tam sæpe moueantur: nimis pusillum Sphæram fixarum caueæ, terram autem comparare, vt hanc volare, illam quiescere credamus: nimis fictitium tam prodigiosa facere in Cælo corpora, tam immensa constituere spatia, vt pertransiri motu non possint: nimis iniustum, dissimulare tardissimum esse octauæ Sphære motum, iuxta ordinem vniuersi, si quod Tycho probat, viginti quinque annorum millibus absoluitur. Quæcumque militant in communem sententiam rationes, debilissimi

Prouer.
22. 28.

Psal. 105.

vectes deprehenduntur, quibus tam operosam molem etiam Archimedæa vis non possit impellere. Sinamus igitur terram quiescere ipsi in eâ quieti. Quò sapit quis altius, eò saepe desipit profundius, innocentes nos esse lex, non curiosos iubet.

CAPVT XII.

A quo Cæli & Astra moueantur.



CÆLOS esse moles crystallinas immensas quæ continuò motu torqueantur ab Angelis creditum olim magno Scholarum ambitu, sed hæc opinio nunc paucos sectatores habet, postquam Ætheris asserta liquiditas, & euidentiſſimis experimentis demonstrata. Haud quidem negamus Aristotelem, Deum rectorem vniuersi, & administras Intelligentias, agnouisse, sed non eo modo quo multi prædicant. Non laboramus de motu Cæli, quia nullus est, nisi cum secatur ab Astris, quemadmodum aër ab auibus: stellæ sunt quæ mouentur; vtrum ab Angelis, delicioſa plerisque res est ita sentire, sed probare, operosa. Pleno vbique ore citatur Aristoteles quasi huius auctor commentum, nusquam tamen apertè de hac re pronunciaſſe legitur, nec Angelos quidem aut Intelligentias externas siderum motrices nominasse. Nam physicorum liber octauus ad quem nos schola remittit, nihil aliud dicit, quàm *se motus est æternus, motorem quoque immobilem atq; æternum existere. Præterea esse vnum, quia cum vnus sufficiat ad efficiendum æternum motum, non debemus frustra multos ponere, siquidem iuxta Homerum, ἔκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἰς Κοιρανός ἐστι.* Hæc siquidem vnum & stabilem & sempiternum rectorem vniuersi præclarissimè asserunt, non tamen ab extrinseco mouentem; de angelis motoribus nihil dicunt, imò potius negant, cum tollant illam quam alij fingunt mouentium multitudinem. Inde ad Metaphysicorum duodecimum confugium est, qui nec aduersarijs fauet. Siquidem philosophus repetit quæ eodem libro Physicorum octauo scripsit, asserens *motus cælestes à per se immobili & æterna substantia fieri, deinde addit stellarum naturam hanc esse perpetuam substantiam, & mouens æternum.* Ex quo longè euidentiſſe Aristotelem censuisse astra à natura sua siue forma moueri, quàm ab angelis administris, quos hîc nec appellauit,

nec cogitauit quidem, vt mirandum mihi videatur quomodo ipsius sententiæ propugnatores, in locis tam sterilibus, tam nullis sibi plaudere, sibi gratulari possint. At fortè arripiunt quod in extremo huius capituli de Dijs obiter intexuit, & per istos significari Angelos volunt; sed hæc à mente authoris longè discrepant. Nam cum de vnitæte & pluralitate Cælorum differuisset, subdit. *Tradita sunt autem quædam à maioribus nostris & admodum antiquis, ac in fabulæ figura posterioribus relicta, quòd hi dij sunt, vniuersamque naturam diuinam continent: cætera verò fabulose ad multitudinis persuasionem, & ad legum ac eius quod conferat opportunitatem iam illata sunt: hominiformes namque & aliorum animalium nonnullis similes eos dicunt, ac alia conſequentia.*

Ex toto illo contextu nihil aliud à perspicacibus colligi potest, quàm veterum quædam opinio, qui Deos, Solem, Lunam, ceterasque stellas censuere, præter quos, inquit, dij postea ex hominum animaliumque genere ab Ægyptijs, Græcisque sunt inuecti magis ad populares sensus quàm ad rei veritatem. Non audet hîc apertè in Atheniensium religionem inuehi, & tot Deorum monstra refellere, quanquam satis innuit, diuinius antiquos de dijs iudicasse, qui primas illas & æternas substantias: nempe stellas hoc nomine dignarentur, quàm qui mortales homines aut etiã animalia. Ipse autem Aristoteles magis propendet in vnum & sempiternum motorem, quem ait in suprema Cæli superficie residere, & vim suam per vniuersum diffundere: ex quibus satis indicat opinari se Deum tamquam animum mundo affusum, vt libro octauo physicorum, capite decimo.

Quis in toto hoc discursu motores per motum localem Angelos etiam somnians diuinet? imò absurde inferret, quòd habet libro primo de Cælo, capite secundo, Solem esse primum & perfectissimum corpus, quia obtinet primum & perfectissimum motum, si ab extrinseco moueretur. Certè pugnantia loqui eum crederem, si postquam inesse stellis animam apertissimè dixit, & habere illas inditum sui motus principium, statim externam vim à qua mouerentur, quæreret.

Nec verò multum adiuuat ratio quos authoritas destituit. Incongruū est (aiunt) stellas à principio intrinseco moueri, quia repugnat dari naturalem inclinationem ad motum, nisi respectu alicuius formæ determinatæ, vel termini per eum compa-

An Aristoteles censuerit Cælos moueri ab Angelis? Physic. lib. 8. cap. 6. textu 52.

Metaphys. li. 12. cap. 8.

ἢ τε γὰρ τῶν ἀπρωφύσις ἀδίοσπις ἔσται τὸ ἀκίνητον.

quod Cæli à sua forma moueantur.

randi; sed motus Cæli non tendit in aliquem terminum definitum in quo quiescat, quemamodum cætera corpora consuevere, ex quo inferunt non esse illi formam inditam à qua moueatur.

Sed hoc argumentum parum habet ponderis: nam ea tantum respicit quæ à medio feruntur aut ad medium, quibus in determinatos locos ubi quiescant, impetus est. At verò Cælestium corporum alia dignitas, alia quoque ratio est: vt enim constant materia & forma quæ nostra hæc elementa longè superat, ita etiam peculiarem sibi vendicant motum, nempe circula-rem, qui est omnium perfectissimus. Non est enim ex indigentia corporis appetentis locum: in quo consistere & hæere in aliquod tempus possit; sed ex ordine & conseruatione vniuersi, quod longe nobilius est.

Adde quòd hic motus in orbem mobile vbi-que sit, in proprio loco constituit, nunquam vagum, nunquam indigum, totum in se, totum sui. Et certè mirari subit quod illi ipsi qui motricem formam à stellis excludunt, & se cum Aristotele sentire dicunt, non viderint quàm clare & nitide ostendat libro primo de Cælo, omne corpus naturale secundum locum moueri, motum autem aut esse simplicem, aut mixtum. Simplicem diuidi in rectum & orbicularem. Rectum subdiuidi in ascensum & descensum. Orbicularem esse circa medium, ascensum à medio, descensum ad medium. Mixtum ex recto & orbiculari constare, vt animalium incessum. Ecce omnes tibi corporis naturalis motus ponit ob oculos, in his circula-rem qui Cælis proprius est, annumerat, neque minus naturalem sideribus censet, quàm lapidi motum ad centrum. Quid restat si Cælum ab intrinseco non mouetur, nisi vt dicamus non esse corpus naturale, sed phantasticum, idque perpetuo esse in violento statu, præter naturam actum in spiras tam multiplices, quod quidem satis absurdum est.

Aliud præterea obijciunt ab ordinatissimo Solis cæterorumque siderum motu, & quærunt si non mouentur ab angelis, cur postquam ad tropicos deuenere, per aduersa vestigia reflectunt iter, & non vltra progrediuntur, nemo dicet hinc exhaustas eorum vires, aut obice aliquo in alteram partem reuerberari, ex quo fateri necesse est non à forma intrinseca, sed ab assistente Intelligentia illos flexus & reflexus circumscribi.

Sed adhæc respondere promptissimum est, staturas esse à mundi constitutione Cælo, sicut elementis à Deo leges, & hunc astrorum cursum opus esse sublimis prouidentia, quem tamen Deus non per se, non per angelos, sed per naturales formas exequitur. Videtur quid Atlantis fabulæ quam irridet Aristoteles, non absimile exteros Cælo motores affigere. Nemo terram ab intelligentia sustineri dicit, ne in aduersum aërem ruat. Nemo maris æstus ab Angelis cieri, & intra suos terminos componi prædicat: non quærimus cur sol nobis ab orientali parte fulgeat, & in occidentum vergat. Hic rerum ordo, hæc natura est. Non absimili modo cum videmus astra per signiferam viam carpere, ire redire, & reciprocos exercere cursus, frustra sciscitamus vnde sit. His illa terminis circumclusit Deus, has regiones incolendas distribuit, vt auibus aërem, mare piscibus, habent ad sua quæque loca inditas propensiones, & in ijs sentiunt conditoris maiestatem. Quapropter cum tam parui sunt momenti quæ pro motoribus Angelis dicuntur, longè melius est cum Aristotele, Alberto, Vallesio, aliisque celeberrimis Philosophis censere orbes cælestes à propria forma moueri & rapi. Contraria enim sententia ad errores Arabum propius accedit, qui dictitabant solem non lucere, sed Deum; verum suam cuique rei formam ad naturæ proprias functiones molitor æternus distribuit. Nullus in prætis flosculus, nullum terra marique animalculum, quod se suosque effectus per formam sibi inditam non promat, atque explicet. Non dicimus Angelos assistere hirundinibus, cum nidos tanta industria componunt, non apibus, cum admirabiliter respublicas constituunt, non tot animantibus, dum similia prodigijs faciunt. Ignis sublime iter sine intellectu carpit, flumina mare repetunt sine pedagogo, tot miranda inferior natura sine magistro facit, cur terris rudiores fingimus Cælos? An solas oportuit stellas quasi pupillas æternas tutoribus commendari? aut quasi infantes gerulis & nutricibus credi? certè & hoc indignum Deo est, qui nulli rerum à se conditarum naturæ suæ dotem negat, & stellis ipsis pudendum, si aliena semper ope indigeant. Quid facit in ipsis forma iners & indigesta, quasi gladius in vagina perpetuò reconditus, si non agit & mouet: cur non etiam dicunt eas per Angelos lucere qui per Angelos moueri disputant? An quia lucere minus est quàm

moueri, sed ignobilia etiam animalium motum habent, lucem à natura inditam quasi in fonte, nisi diuinis simillima non obtinent.

Iob. 9.
15.

Phyf. li
8. cap. 6.

Deinde quam audacter imponimus Angelis labores baiulorum, quos nec sacrae literæ, nec vlli conciliorum canones agnouere: nam qui apud Iobum portare orbem dicuntur, non sunt Angeli, sed superbi ac potentes viri qui rerum humanarum clauum obtinent, vt ait Mariana. Magnis illos in hac æterna Dei contemplatione distringimus curis, si etiam quotidie ab ortu in occasum à primo mobili rapiuntur, vt ex Aristotele par est colligi, si hæc eius sententia est. Multa profecto hic inconcinna, multa violenta. At nostra assertio nihil affectatum habet, nihil detortum, ordinem obseruat vniuersi, legem sequitur Dei. Haud tamen inficiasimus Angelos à summo rerum opifice, non tantum Cælis, sed ipsis etiam elementis propositos, qui mirabiles illos mundi concentus indefessè operâ contineant: sic Angelum mari tribuit Ecclesiasticus, capite quadragesimo tertio, iuxta editionem Græcam Complutensem, *Δὲ αὐτὸν εὐδοσεῖ Ἄγγελος αὐτῷ.*

CAPVT XIII.

De ordine mundi, vbi tria systemata proponuntur, & Copernici sensus declaratur, nec tamen probatur quod scriptura, doctis quoque & pijs viris videatur aduersari.

MVNDVS qui Vniuersi nomine melius censetur, est tota rerum natura, constans ex Cælis, sideribus, elementis ac mixtis, suoque circumflexu ambiens omnia. Huius systema siue ordo variè ab excellentibus ingenijs traditum, ita rerum difficultas facilitatem diffidorum facit. Ptolomæi sententia diu sedit, sedetque apud multos semper immota, hoc ordine: Primum locum obtinet Firmamentum, tot stellis pictum, deinde Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna, Terra, cum qua aër & Oceanus, Thyconis Systema post fixas, Saturnum similiter ponit, Iouem & Martem: Deinde Venerem & Mercurium: Postremò Solem & Lunam. Copernicus statuit Solem in centro mundi, vbi Ptolomæus & Thyco terram collocant. In

superioribus planetis nihil mutat. Venus & Mercurius iuxta illum agmen, claudunt. Certè si motus terræ scripturæ esset consentaneus, probabilis admodum videretur Kepleri eruditissimi viri opinio, qui totius mundi systema imaginem Trinitatis esse memorat. Atque vt in sanctissima Trinitate Pater est veluti centrum omnium, quomodo Synesius appellat, Filius circumferentia, intermedium verò spiritus sanctus. Ita in mundi compositione Sol centri vicem obtinet in medio collocatus & stabilis: Sphæra fixarum stellarum est circumferentia, & vallum immobile, quo omnia clauduntur; intermedium verò obtinent planetæ inter quos & ipsa terra circa solem mobilis. Mundi autem perfectio vt ipse ait, consistit in luce, calore, motu, & harmonia motuū, quæ sunt analogæ facultatibus animæ, lux sensitiuæ, calor vitali & naturali, motus animali, harmonia rationali: & in luce quidem mundi consistit ornatus, in calore vita & vegetatio, in motu quædam quasi actio, in harmonijs contemplatio, in qua beatitudinè Aristoteles posuit. Iam cum ad omnem affectionem tria necessariò concurrant, causa à qua, subiectum in quo, & forma sub qua, Sol per omnes affectiones mundi, vicem sustinet efficientis, fixarum regio formantis, continentis & terminantis, intermedium rationem obtinet subiecti.

Habent hoc omnes commune quòd nullos Cælos supra firmamentum agnoscunt, quod fixis stellis Saturnum, Iouem, Martem, consequenti ordine subiiciunt. Thyco discessit à Ptolomæo Solem post Venerem & Mercurium collocans, Lansbergius ab utroque, terram in sede Solis, Solem in loco terræ constituens. Hæc opinio multis prodigii instar videtur, habet tamen suas rationes quas sibi haud contemnendas fingunt.

Primò nemo æstimet (aiunt) Solem à præstantiori sede in inferiorem ablegari: Sic enim in medio mundi collocatur tamquam rex in Regni meditullio, in vrbe clarissima atque frequentissima, ad quam facili negotio omnes prouinciæ appellunt. Constituitur in ipsius vniuersitatis centro, vnde luce, motu, calore, in omnes Cælos commodissimè influat: nam cum sit Dei Vicarius, & patens occultæ maiestatis imago, per quem omnia naturæ dona affluentissimè liberalitate distribuit, vbi nam melius constituatur quam in eo ipso loco vnde omnia ex æquo respiciat, omnibus beneficis, & salutaribus radijs infu-

Keplerus in Epitome. Astro-nomiæ. lib. 4. p. 438. Copernici Systema declarat sublimi comparatione.

rationes pro Systemate Copernici.

fus? Si Saturni sedem obtineret, rigerent hæc infima à vitali loco longissimè remota: si propius nobis instaret in loco Mercurij aut Lunæ, cuncta volucris flammis absumeret. Nunc autem quàm appositè constitit in mediis, in ipsius naturæ vitalibus, quasi cor in animantis visceribus. Atque ut cordi natura pulmones, pericardion, humore iugi completum, ad eius calores temperandos attribuit, sic ad moderandas flagrantissimi sideris flammæ Deus illi stipatores perpetuos Venerem & Mercurium addidit, quorum hic aëreâ naturâ præditus, illa genitili rore madens iucundissimâ temperie concentum faciunt, & in totius vniuersi vtilitatem dispensant.

Denique cum sancto Augustino teste Sol nobis veluti perpetuum Augustissimæ Trinitatis simulachrum sit propositus, quem quoties intuemur, calentem, fulgentem, currentem, toties nobis fecundam vim patris, fulgorem filij, & spiritus sancti indeficientem in Ecclesia motum repræsentamus, decebat certe illum in throno naturæ magis aspectabili sedere, ut omnibus obuius, omnibus fieret intimus.

Iam verò terræ nulla fit iniuria, si in ipsa Solis sede media inter cæteros planetas collocetur, sic enim in illam inferiores superioresque stellæ diuitias suas quasi ad commune penu transmittunt. Deinde sic supremo viciniore Cælo, sic propiores euadimus Deo. Nimis remoti videbamus ab hoc beatorum cuius nos futuros esse ciues speramus, domicilio, si nos ad inferiora Deus ablegasset, si propius Saturno admouisset, timenda regni torpentis frigora, & à benefico Sole exilium. At hinc & hæreditatem nostram de propinquo magis suspicimus, & vitali fidere commode perfundimur.

Addit Lansbergius quod terra diurno motu suis nos veluti pia mater vlnis gestat, & luculento Solis foco quotidie obuertit, annuo verò per Ecclipticam veluti triumphali curru circumvehit, ut per varias anni tempestates admirando rerum operumque Dei spectaculo recreemur, & Authorem vbique grati celebremus.

Nemini autem inuisum atque insolitum videatur si terra super planetas aliquot constituat: nam & Cæli dimidiam partem singulis horis habemus sub pedibus, & terra ab antiquis vna ex planetis credita Luna præstantior, quam velut comitem indiuiduam habet, & prope ancillam. Nam pari motu perpetuo per Ecclipticam pro-

cedit, nunc præit, nunc sequitur, nunc humidi vitalis salubritatem suggerit, nunc ad dispergendas noctis tenebras ministrat facem.

His fere rationibus instat Lansbergius, libro de motu terræ, quam opinionem quia doctis & pijs viris non placet, aliquot supra rationibus confutauit.

CAPVT XIV.

An plures Mundi intrâ firmamentum, sicut & plures Cæli? Dissertatio Pythagorica præmittitur, deinde sensus authoris aperitur.



NICVM esse mundum, nec fides absolutè definiuit, nec philosophia demonstrauit, nec vlla opinor argumenta vquam euincunt. Ad hunc scopulum allisa mens Aristotelis in cæteris tam pugnax, tam perspicax, siquidem non tantum vnum esse mundum asserit, sed nec plures fieri posse, tota materia in hunc, & ab æterno exhausta. Deinde eam esse naturalem corporum propensionem, ut ad sibi similia sponte inclinent, ex quo fieret ut terra vnius mundi in alium orbem dilaberetur. Ratio vtrique imbellis & infirma. Prima ignorauit opificem totius materiæ Deum, cuius thesauros habet in potentia semper immensa in exhaustos & quoties voluerit affluentes. Secunda ludit magis quàm pugnat, dum vult vnum vltro à sua sede moueri mundum, ut in alium incurrat. Nam si creatoris vis infinita plures mundos procreauit, non dubium quin suis quemque limitibus sapientia constrinxerit, ut contenti suis, in aliena non irrumpant. Dependendum hæc commercia sunt ut alter alteri accedat: at hinc nullam inferiorum erga superiora seruitutem, nullum mutæ communionis nexum agnoscimus, pacata vbique singulis mundis regna, & sua, sic æterna lege sanciente, sic dispensante prouidentia: non exilit vitellus oui ad alium vitellum sibi oblatum, sua enim testa quisque conclusus cohibetur, nec dubium quin vallis quisque suis, orbis si multi sunt, scite contineantur.

Sublimius Plato nec tamen efficacius, contendit vnitatem mundi ab vnitatem exemplaris Dei. Sed nec istud necesse, omnia esse vna quia Deus vnus est, alioqui

Aristot.
lib. 1. de
Cælo ca.
8. & 9.
Aristo-
telis sen-
tentia
infirma
ratimi-
bus ni-
xa.

Platonis
mens.

nec duo oculi faciem collustrarent, nec luminaria multa Cælum accenderent, vno Sole contentum. Sanctus Thomas idem probat quia omnia debent esse ordinata vno ordine ad vnum: sed nec si mundi multi sint, suus ordo cuique deerit, & omnes in decorem vniuersi vnus (quod multorum orbium aggregationem stoici agnoscere) conspiraturi sunt, vt nec ipsa appetentibus vnitas desit.

Anti-
quissima
sententia
intra
vnum
firmamentum
plures
orbis
quasi totidem
mundos
esse.
Plutar-
chus de
placitis
Philosophorum
cap. 13.

Εξ αὐτοῦ
ἔστιν ἄγε-
ρων νό-
σμων
ὑπάρ-
χειν.

Non te-
mere
oportet
opiniones
physicas
in fidei dogmata
transfere-
re.

Antipodū
olim
fabula
habita
fidei cō-
traria.

Lact. l. 3.
diuina-
rum In-
stitut.
cap. 24.

Antiquissima sententia est, quam Heraclides, Pythagoræi, & Orphei sectatores viri ingentes tradidere, plures mundos esse, non quidem extra firmamentum nemini visos, quod temeritatis est asserere, sed singulos Planetas, & affines Planetis stellas quas hîc tam remoti instar clauorū suspicimus, totidem mundos esse, mira rerum varietate ab opifice Deo contextos, & rebus naturisque nobis ignotis (vt Democritus innuit) refertos. Vicit in hac opinione omnes hominum curas Endymionum curiosissimus Ioannes Heuclius, qui magna vitæ parte per singulas noctes Lunæ affixus, deprehendit in ea plana vallium, eminentia montium, rupium, siluarum, Maris & aquarum fluuiorumque species, quorum phases edidit ingenti & è laborioso volumine.

Rident hîc non imperiti rerum, & quod pauci capiunt, plurimi semper reprehendunt: occupant incuriosas mentes falsæ de Cælo & mundo opiniones, quas vbi schola Peripateticorum, arripuit, tenacissimis vinculis alligat, & si qui Theologorum in istis sæpe rudes applaudunt, physicorum scita in fidei dogmata transferunt, & conscientiam ex scientia faciunt, contra ipsius Ecclesiæ placita, quæ nihil in istis temere decernere consuevit Prudentissime S. Augustinus libro 2. cap. 10. de genesi ad literam. Nos autem seruata semper piæ grauitatis moderatione, nihil credere de re obscura temere debemus, ne fortè quòd postea veritas patefecerit, quamuis libris sanctis nullo modo possit esse aduersum, propter amorem nostri erroris oderimus.

Quæ de Antipodibus ferebantur olim credita simillima fabulis, & certe Lactantius clarissimam experimentis veritatem non dubitat *stultitiam & portentum*, appellare. *Quid illi, inquit, qui esse contrarios vestigijs nostris Antipodas putant? num aliquid loquuntur? Aut est quisquam rerum ineptus qui credat esse homines quorum vestigia sint superiora quàm capita, aut ibi quæ apud nos iacent inuersa pendere? fruges & arbores deorsum versus crescere,*

pluuias, niues, & grandinem sursum versus cadere in terram? quid dicam de ijs nescio, qui cum semel aberrauerint, constanter in stultitia perseuerant, & vanis vana, imo portenta defendunt. Ita vir eloquentia & pietate insignis, sed Mathematicorum expers, verissimam sapientiam non tantum derisit, sed stomacho quoque amarulentus excepit. Dolemus in eadem naui esse (vt alibi dixi) sanctum Augustinum qui sic in Astrologos inuehitur. *Quod verò & Antipodas esse fabulantur, id est homines à contraria parte terræ, vbi soloritur, quando occidit, nobis aduersa pedibus nostris calcare vestigia, nulla ratione credendum est. Quod si causam inquiras, nullo modo, (inquit) scriptura ista mentitur, quæ narratis præteritis facit fidem eo quod eius prædicta complentur, nimisque absurdum est vt dicatur, aliquos homines ex hac in illam partem oceani immensitate traiecta nauigare, ac peruenire potuisse vt etiam illic ex vno illo primo homine genus institueretur humanum.* Deinde ex Mosis Geographia argumentatur, inferens. *Quapropter inter illos tunc hominum populos, qui per septuaginta duas gentes & totidem linguas colliguntur fuisse diuisi, quæramus si possumus inuenire illam in terris peregrinantem ciuitatem Dei quæ vsque ad diluuium arcamque perducta est.*

Ex his apparet quam periculosum sit Mathematicam ex scriptura probare, aut refellere. Nam hæc quidem (vt ait sanctus Paulus, *diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* In iustitia dixit, non in Geometria, aut Astrologia, quas primis temporibus sancti longe aliis rebus intenti, ignorare magis quàm profiteri voluere. Aiunt tamen Virgilium Saliburgensem in Germania Episcopum, non alia de causa ab Episcopatu propè deiectum quàm quod Antipodes esse in concione docuisset: sic enim Bonifacio Archiepiscopo Moguntino videbatur nouum orbem condere, eique redimendo alium Christum fingere: sed certe Zacharias papa quod plerique *Astrologorum* obijciunt, nihil in istis tamquam ex Cathedra definiuit, nouitatem quæstionis auerisse contentus, nequid inde detimenti Ecclesiæ nasceretur. Baronius rem aliter exponit quam Auentinus author suspectæ fidei, dum ait virgilium per calumniam accusatum, quòd diceret nouum reperiri mundum, qui alio Sole, atque alia Luna illustraretur: idque falso cum illi esset impositum, Episcopatu minimè excidisse, sed si istud

August.
lib. 16.
cap. 9.
de Ciuitate
Dei.

1. Tim.
3. 10.

Auenti-
nus Ba-
tau. 9.

751.
Hic Bonifacius
consult
Zachariam.
Papa
de iis qui
ignem
excita-
rent per
specula
ardentia
quæ cry-
stalla
vocat,
quasi de
re illicita
Zacharias
respon-
det nullā
de hac re
esse tradi-
tionē.
Zacharias
Papa
opinio-
nem de
Antipo-
dibus
nō dam-
nauit,
quod
quidam
hæretici
obijciūt.
Baron. t.
9 anno
Domini
748 p.
244.

istud de Antipodibus intellexit, nec tamē damnatus auditur: non debemus (vt putāt) Pythagororum de pluralitate mūdorum temere damnare sententiam, tanquam à fide & sacris literis alienam, neque veluti Philosophiæ aduersam extrudere: si quis enim (vt aiunt) penitus inspicere & maturius examinare voluerit, inueniet eam certè multum habere probabilitatis.

Primò euincit illa quæ à Philippo Lansbergio ex elementis Euclidis probata est siderū magnitudo, vbi ait stellam Saturni, quadragies sexies continere terram, stellam Iouis vigesies quinquies; stellas fixas primæ magnitudinis sexages septies, alię eandem æquant, aliæ minores quidem sunt, sed omnes supra sensus nostros grandes & vastæ. Quorsum igitur tot corpora tā immensa, tā speciosa? an vacua æstimamus tot regna qui vacuum à nostro scilicet orbe tam constanter explodimus? an hæc tantum nobis condita vt terram illuminēt opinamur? Ecquis pater familias facem tota domo maiorem in domesticorū vsu accendit? Nimis arrogantes sumus si putamus tanti esse hoc quod incolimus punctū, vt tot illi stellarum millia, quarum magna pars toto orbe maior est, seruire debeant.

At dices tam magnas esse stellas quia longè à nobis remotæ, non apparent si exiliores essent. Non poterat igitur eas nobis propius admouere conditor omnium Deus, si nostra tantū causa fecisset.

Quid quod verendum nobis est, ne in summum numen iniurij simus, dum beneficentiam eius ad tam paucos restringimus. Terram tam sæpe audimus vniuerso comparatam instar puncti esse, quid igitur putamus fore tot homunciones ex luto conflatos? *Ecce gentes quasi strilla stivla & quasi momentum statera reputatæ sunt: Ecce insula quasi puluis exiguus*; & nos exundantem istam in immensum potentiam, ad tam pusillum opus, ad hunc pugillum animarum coarctatam censebimus?

Adde quod repugnat ætheris prodigiosa capacitas, si dicamus Deum huic vnū affixisse mundū quasi in vastissima sylua nidulū, aut certè in latissimis agrorū iugeribus vnā frumenti spicam: non tā pauper est qui abundat omnibus, non tā restrictus, cuius bonitas donis extra se perennibus effluit.

Sed illic (dices) sunt tot stellæ, tot sidera: quid sunt ista nisi moles vacuæ, & impedimenta, si nullæ illic vitæ spirant, nullæ mentes sapiūt, nulla deum ora prædicāt? At verò habitatoribus gaudent Angelis; sed quid tam vastæ Angelis domus,

qui utique spiritus sunt, nonne sibi Empyreum vendicant cælum, à quo eos perpetuò exulare vt in planetis habitent, nemo nostrorum credit.

Iam vide quantum tribuatur creatori, si mundi pene innumerabiles concipiantur, ijque naturis excellentibus referti: fac nō esse aliquos de genere nostro, sed fortè erunt præstantiori quadam specie intelligentibus animis, corporibus Æthereis, usq; non morituris. Quid cogitas necessitatem redemptoris, si nulla seruitus? quid medicū, si nulli plane morbi? Quid caducitatem, si qui illic bonis Angelis haud ab similes viuunt? Certè dum hæc mens reputat, rapitur in immensum, & cælaram pulcherrimis lineamentis, omnipotentis Dei concipit effigiē. Gaudet tot illi opera refundi, tot lustrare præsentiam mundos, tot regere, tot vni thura, tot tributa vndique affluere. Intramus ipsi in magnam & gloriosam societatem rerum, multos habemus obsequij adiutores, officiorumq; participes, incipimus numerosiorē Domini censere familiam, & tot fratrum accessione lætari: pusillarum gentium hoc est, & valde agrestiuū solas se credere ciues vniuersi: eunt in abdita, & propè infinita, qui Deum, qui mundum sagaciùs norunt.

At timendū ne hoc fidei aduersetur, ira est si extranaturæ cancellos egrediamur, & velimus illuc nostri plane generis homines, nouum Christum, noua etiā mysteria inferre. Sed quid opus est ista cōminisci? An non istud imbecillæ mentis omnia ad se referre, omnes suo modulo metiri, & hoc ita æstimare, vt ne Deo quidem liceat facere naturas intelligentes quæ nec isti quæ speramus beatitudini destinantur, nec nostris sacramentis egeant, cū alia prorsus fuerint conditione genitæ.

Obiicitur quod est actuum capite 17. *fecitque ex vno omne genus hominum.* Sed in promptu responsio est: nos haud quaquam asserere illic esse homines nostra omnino specie, nostro statu progenitos, qui filij Adami non sint: fortè meliorē naturæ censum habent, forte etiam in aliquot mundis deteriorē. Hoc prouidentia opus est mirifico textu varietatis vniuersi molē distinguere, nec semper idem in tam multi lici potestate, voluntate tā libera facere. Quid igitur respondebis Moyfi asserenti, *requieuisse Deum die septimo ab vniuerso opere quod pararat?* Quid toti scripturæ mundum singulari semper nomine appellanti? Qui euisse ab hoc instaurando quem incolimus mundo Deū Moyfes memorat, ante hunc alios

quo tēperamēto probabilis esse videatur.

Rationes eorum qui Pythagororum sententia fauent.

Isaia 40.

Gen 18.

fecisse non negat. Nimis deinde morosifumus, si Cosmographiā omnem & Astrologiam in scriptura quærimus. Tota magis viuendo est quam sciendo: fidem & vitam instituit, curiositatem non alit. Leges huic mundo scribebat Moses non alteri, hunc nosse, hunc solum instituere dominus volebat. At quæ intra & extra lunam fiunt, nec eius curæ, nec fortasse scientiæ cōmiserat: nam nec Prophetarum est omnia scire, sed quæ ad eorum munus attinent. An si tantum Solem, & Lunam, Hyadas, Orionem, Arcturum scriptura nominat, aliæ stellæ non erunt? An etsi terras tam sæpe pluraliter enunciat, è fide iam contendemus esse, multiplices dari terræ globos, quod Philosophiæ magis quàm Ecclesiæ negotiū est. An si quod aliquando accidit, mundum regionem aliquam aut prouinciā vocat, aut cum dicit totum mundum abijisse post Christum, cum tamen aliquot tantum è Iudæis ipsum sequerentur, continuo asseremus nullas extra Iudæam prouincias, nullos homines fuisse. De notis scriptura loquitur, vsitato more, ad captū & vsum hominum, in Cosmographorum aut Astrologorum placita non iurat. Ad do quod etsi multiplices mundos in Planetis & stellis ponamus, vnum tamen vniuersū cuius septo cohibeantur omnes, profite-mur: omnes communem habent Ætherem, communem Solem, circa quem in centro huius vniuersitatis positum mira conuersione voluuntur: in ceteris quisque pro suo situ, sua natura, sua conditione, maximam varietatem habet, quam suspicari possumus, dicere non possumus, siquidem opinari in istis hominum est, Dei scire.

Hæc ex sua sententiā acuti viri ita disputant, quæ vt orthodoxæ fidei planè aduersa damnare non audeo, nec vt se habeant satis comprehendo, vnū certissimū est illic ingentes globos, nec vacuos esse.

Sed nimis temerarium est asseuerare illic homines planè nostri similes esse, cum plerosque in tot nouis orbibus inuentos, tam dissimiles simus experti, vt sagacioribus dubitandum reliquerint, an in nostra specie numerandi forent. Non aliter sacræ literæ in illa Mosis Cosmographia, nō aliter Patres vniuersi, loquuntur quàm de orbe vno; Nulla multiplicium illis, suspicio est. Quid imus in immensa, & vnus ignari in mūdōs fundimur infinitos. Periculosa omnis sciētia est quā deus voluit ignorari.

Mirum est quàm leui fundamento tanta totq; mundorum machinatio construat. Antonius Diogenes in incredibiliū libris

dicit Diniam ignotum quemdam & filium terræ hominē accessisse ad Lunam, eamq; vidisse tanquam purissimā tellurem. Sinamus istos incredibiliū libros vti forte sua, & nunquā credi qui tam absurdi, tam ridiculi sunt. Vnde insanus iste potuit ad Lunā accedere quæ à nostro scilicet orbe plusquam sexaginta millium Lencarum spatio diuisa est? An passibus, an equis, aut curribus, aut alatis draconibus nostræ mortalitati incognitis atq; incōcessis? An tubis opticis quorum istis temporibus qui nunc est vsus non fuit. Opiniosi ista homines commenti sunt, & quisq; de Luna pro suo sensu philosophatus. Pythagoras vt habet Theodoretus ser. 4. de Prouidētia, saxēū corpus in illa finxit, Heraclides terram nebula circumseptam, Anaxagoras & Democritus ignitam soliditatē: Audacius Xenophanes habitari dixit in Luna eamque esse terram multarum vrbiū & montiū. Qui nunc ista commētarenouant, quid habent præter tubos vitream scientiam? Et nos fragili vitro fidem humani generis tot sapientū placitis fultam, tot sæculis roboratā cōmittemus? Quorsū igitur, inquit, tantē in stellismoles si mūdi nō sūt? Sufficiat illis lucida esse corpora, siue sua, siue aliena luce niteant, & quidē magna ad ingentis vniuersi decorē constituta, nec vacua, cū administratorios spiritus habeāt à quibus mouētur, reguntur, ordinātur qui scilicet mūdo intenti nunquam exulant à Deo. At pauper erit Deus (vt aiunt) nisi multos habeat mūdōs. Scilicet egestatē in eo timeamus qui antè mundū erat ipse sibi mundus, & diuitiarum thesauros in sinu portat infinitos. At nimis gloriosi sumus si putamus nos in hac vniuersitate rerū solos esse, & omnia pro nostra causa in nostrum vsum esse facta. Sed nemo iā vereatur omnia homini impendere cui Deus impensus est. *Omnia enim vestra sunt, ait Apostolus, siue mundus, siue vita, siue mors, siue presentia, siue futura, omnia vestra sūt. Vos autem Christi, Christus autem Dei.* Et quis iā miretur si Sol & astra omnia huic mūdo militent, cui Christus ministrat? Vbi alia pectora melius Deum sapient, vbi alia ora sanctius Deū loquentur, quā quæ Christi gratia perfudit, Christi sanguis irrigauit? Quid facerent homines in Saturno, intra Cæli semper rigentis inclementiā? Quid facerēt in Luna tot illustres quos illic Michael Florētius posuit? Quæ voluptas illic perpetuo turbine circumuolui, & longa pati lucis exilia? Nimis prodigi malorum fumus, si tot miseros facimus, quos Deus nullos esse voluit.

Finis libri primi.

Ioan. 11.
19.

Corint.
3. 22.